MIRTISBI SARPEDONII

PASTORIS ARCADIS

DE VERA ATTICORUM PRONUNCIATIONE

Ad Græcos intra Urbem

DISSERTATIO

QUÆ

Cùm ex Hiſtoria, tùm ex Veterum Græcorum Latinorumque teſtimoniis

PERSPICUE OSTENDITUR,

Quàm longè hodierna Græcorum pronunciatio à veteri diſceſſerit.

ROMÆ ANNO JUBILÆI MDCCL.

Ex Typographia Hieronymi Mainardi.

SUPERIORUM FACULTATE.

Apud Venantium Monaldini, & Nicolaum Pagliarini.

Digitized by Google

Digitized by Google

COLLEGII GRÆCI
INTRA URBEM ALUMNIS.

χαίρειν ; καί εὐπράττειν.

NON diu admodum eſt Juvenes lectiſſimi, quum de rectâ Græcæ linguæ pronunciatione inter nos ſermo fuit! Diſputatio ſanè non levis erat, perſtiteritne apud vos celebris illa Atticorum pronunciandi, loquendique ratio: an verô, temporum ſenſim vitio in aliam degenerârit? Primum quidem vobis extra omne dubium videbatur eſſe poſitum: mihi verò alterum, tametſi non omnino erat perſpicuum, multò certè apparebat credibilius, & vero quaſi proximum. Obtendebatis identidem admirabilem illam, quæ inter vos ubique terrarum eſt, opinionis conſenſionem; neque deerant, qui ejus mihi rei ſpecimen continuo exhiberent, aliis quippe Homerum, Iſocraten aliis pari prorſus modo, voceque prælegentibus. Quod quidem, quantam in animo meo primâ fronte impreſſionem

fecerit , non facilè queam verbis explicare . Verùm enim verò, quum ex eo die hanc in curam diligentius nonnihil cœpiſſem incumbere , tantum abfuit , ut veſtræ ſubſcribendum exiſtimârim ſententiæ , ut potiùs , quod dici ſolet , in contraria omnia diſceſſerim . Subnaſcebantur quippe ea mihi perpetuò rationum momenta , quæ veſtram hanc opinionem omnino infringere , atque convellere videbantur. Quamobrem , cùm vos eorum uberiùs intelligendorum cupidos intelligerem , non abs re facturum me arbitratus ſum , ſi brevi hac diſſertatione planum facerem, non eſſe hunc veſtrum legendi , recitandique morem πατροπαράδοτον , ùt quidem contenditis : quin potius à veteri illâ, quæ florente Græciâ obtinuit , ὀρθοεπίᾳ mirum , quantum alienum . Hac ſanè in ſententia non parum confirmatus fui , quum affecto jam opere in manus meas veniret edita à R. P. Gregorio Placentinio non adeò pridem ſimili in argumento diſſertatio , quâ cauſam veſtram contra adverſarios cum laude ſuſtinuit , argumentis quidem & variis, & doctis ; non iis tamen , quæ animo à partium ſtudiis alieno vim magnam facerent . Quare , nequid hâc etiam in parte à quopiam hìc deſiderari poſſet , expendi ordine ſingula, eaque , quantum quidem res poſtulare vide-

batur

batur, accuratè diluere conatus ſum. Recte ne, an ſecus id à me præſtitum fuerit, alieno potiùs velim judicio, quàm meo definiri. Cæterùm dabitis mihi veniam opinor, ſi græcæ Nationis hâc in re conſenſum minoris fortaſſe, quàm velletis, æſtimavero. Meminiſſe enim vos oportet, linguam, quâ de agimus ex iis eſſe, quas *mortuas* appellamus. Addiſci à vobis illa hodie non minùs debet, quàm à cæteris per Europam gentibus. Quo fit, ut in pronunciationem antiquam inquirendi alia nobis non ſuperſit via, quàm ſola veterum teſtimoniis innixa ratio. Hujus quidem vim veſtrâ ex parte præpedire facilè poteſt cùm nationis ſtudium, tùm hauſta quondam in ſcholis præjudicia: mihi verò ejuſmodi nihil, quantum quidem exiſtimo, pertimeſcendum eſt, non popularium conſenſus; græcus enim natione non ſum: non patriæ conſuetudo; quippe quæ ubique eadem non eſt: non denique præceptorum meorum authoritas; Siquidem illorum alii veſtram, alii eam, quam hìc propugno, ſententiam amplectebantur. Sola itaque, ùt videtis, ratio eſt, quæ ad hanc â vobis diſceſſionem faciendam me potuit impellere. Neque illam de trivio ſumptam exiſtimate! mediâ illam è Græciâ, & vetere Latio hauſimus: quæ ab

aliis

aliis hâc in re præclarè aut dicta, aut inventa fuêre, minimè repudianda duximus: obſcura multa illuſtravimus, plurimaque noſtra etiam è penu adjecimus. Viros demum & plurimos & graviſſimos per ſæculorum ordinem attulimus, quorum neque authoritatem reſpuere, neque verba alienum in ſenſum fas erit detorquere. Adferte itaque animos dociles, & qualemcunque hunc conatum noſtrum æqui bonique conſulite. Valete.

Romæ Idibus Martiis MDCCL.

ELENCHUS

Digitized by Google

Prolegomena in præſentem Diſſertationem. pag. 1.
§.I. *Præmittitur ſuccincta narratio de linguæ Græcæ initiis, incremento & fatis.* Ib.
§.II. *Statuitur Controverſiæ* κρινόμενον. 8
PARS I. *Oſtenditur, linguam, qua hodie literati in Græcia utuntur multum defeciſſe à veteri Athenienſium.* 10
§.I. *Oſtenditur defeciſſe quoad phraſin.* Ib.
§.II. *Oſtenditur defeciſſe pariter quoad pronunciationem.* 15
§.III. *Diluuntur argumenta contraria.* 19
PARS II. *In quibus demum vocalibus, conſonantibus, & diphthongis à veterum pronunciatione diſceſſio facta fuerit.* 25
CAP.I. *De B conſonante.* Ib.
CAP.II. *De Vocalium ſono.* 28
§.I. *Eta ùt e longum pronunciari oportere oſtenditur ex ipſa alphabeti, linguæque græcæ natura.* Ib.
§.II. *Oſtenditur idem ex teſtimoniis latinorum, & græcorum per ſæculorum ordinem.* 32
§.III. *Demonſtratur idem ex conſtanti Vocalis unius in aliam commutatione.* 35
§.IV. *De ſono* τ8 Y. 37
CAP.III. *De Diphthongis.* 38
CAP IV. *Reſpondetur argumentis R. P.* Gregorii *Placentinii.* 41
PARS III. *De reliquis, quæ huc pertinent.* 47
CAP.I. *De accentibus Græcorum.* Ib.
CAP.II. *De Verſuum quantitate.* 50
COROLL. *Quænam ſit hodie in pronunciatione via eligenda.* 52. *IM-*

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. M. de Rubeis Archiep. Tharſi Viceſgerens.

DIſſertationem: *De Hodierna Græcorum Pronunciatione*, a Mirtisbo Sarpedonio Paſtore Arcade exaratam Paſtoricio Authoris Nomine, & conſueto literarii noſtri cœtus ſigno Typis mandari poſſe cenſemus.

Zelalgus Araſſianus P. A.
Meleſigenes Penelopeus P. A.
Palmerindus Rhodienſis P. A.

QUando ita viſum eſt Cenſoribus, qui Diſſertationem ſupra enunciatam perlegerunt, perlectamque probarunt, Paſtoritio Nomine illam edere, communique ſigno imprimere Jus eſto. Datum in Arcadum Collegio die VII. poſt XX. elafebolionis cadentis Anno I. Olimpiadis DCXXXII. Ab. A.I. Olymp. XV. Anno IV.

Myræus Rophæaticus Generalis Arcadiæ Cuſtos.

Loco ✠ Sigilli Cuſt.

Agèmon Batyllianus Adminiſter.

IMPRIMATUR,

Fr. Joſeph Auguſtinus Orſi Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

PRO-

PROLEGOMENA

IN PRÆSENTEM

DISSERTATIONEM

§. I.

Præmittitur ſuccincta narratio de linguæ Græcæ initiis, incremento & fatis.

1 QUOD plantis & floribus, idem & linguis evenire ſolet; ut tenui nimirum rudique ex ſemine procreatæ ſenſim ſine ſenſu ſeſe explicent; vernent deinde, latiuſque effloreſcant: atque, ubi aliquantulum ſuo in ſplendore conſtiterint, flacceſcere demum incipiant, alioſve, dum transferuntur, colores ſumere. Vidimus id cùm cæteris in linguis, quorum hodie apud nos extat memoria; tum maximè in latina, quæ quàm varias ad hanc uſque ætatem vices ſubierit, literatorum nemo eſt, qui ignoret. An græca porro melioribus hac in re uſa fatis fuerit, nativamque venuſtatem ſuam ad nos uſque illibatam conſervarit, in præſenti diſcutiendum ſumimus.

2. Certum itaque eſt ex Grammaticis (*a*) Cadmum omnium primùm è Phœnicia in Græciam attuliſſe literas. Erant hæ numero omnino 16.; puta: α, β, γ, δ, ε, ι, κ, λ, μ, ν, ο, π, ρ, σ, τ, υ. His poſtmodùm Palame-

(*a*) Vid. Gisb. Cuperum in apotheoſi Hom., Salmaſium, Voſſium, &c.

des ϑ, ζ, φ, χ; totidemque alias Simonides Melicus adjunxiſſe perhibetur à Plinio (*a*) nimirum ξ, η, ψ, & ω.

3. Hinc factum, ut ſcribendi quoque ratio ea ætate obtineret ab illa, quâ modò utimur, multum diverſa. Scribebatur ſcilicet TEI pro THI, vel τῇ; πσι pro ψι, κσι pro ξι; THA pro ϑα; XHRO pro χρο; ΠΗΑ pro φα & ſimilia. H enim ea tempeſtate (quemadmodum adhuc apud latinos, & germanos obſervatur) non litera erat, ſed aſpirationis tantùm nota (*b*).

4. Vocalium item η & ω vices tantiſper obibant ε, & ο. Conſtat id ex Cratylo Platonis, ubi ait: ὡ νῦν η ἰχρώμεθα, ἀλλὰ ε τὸ παλαιόν. & clariùs ex Plinio l. c. *priuſquam*, inquit ille, *græcis inter vocales repertæ eſſent η & ω, vicem earum tum apud illos, tum apud nos explebant ε, & ο, O etiam ſcribi ſolitum pro ſyllaba V; E autem pro ε, & η*. Hinc eſt quod in antiquiſſimis inſcriptionibus, inter quas eſt illa Athenienſis, quam adfert Sponius (in Poleni Theſ. Tom. IV. pag. 1278.) ubique occurrunt ΑΘΕΝΟΔΟΡΟΣ, ΕΥΦΑΝΕΣ, ΔΟΡΟΘΕΟΣ &c.

5. Idem etiam poſt receptum η, & ω factitatum ſæpiſſimè fuiſſe obſervare licet ex quibuſdam numis apud Vaillantium; aliiſque, quos ex Smidtii, & Wetſteinii annotationibus recenſet Joannes Clericus. (*c*) Congeſſit eorundem magnam farraginem Author theſauri Britannici (*d*) à pag. 51. apud quem identidem occurrunt: ΑΘΕ. ΘΕΒΗ. ΘΕΣΕΥΣ, ΜΕΤΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ &c. Plura ejuſmodi ſimul

(*a*) Plin. l. 7. c. 57.

(*b*) Lipſius de pron. Salmaſ. Gruter. Cuperus, Voſſius &c.

(*c*) Dans la biblioth. ancienne, & moderne. Tom. VII.

(*d*) Vid. il Teſoro Britannico del Sig. N. F. Haym.

Digitized by Google

ſimul complectitur ſequens tetradrachmatis cujuſdam Athenienſis inſcriptio : ΑΘΕ. ΜΗΤΡΟΔΟΡΟΣ ΚΑΛΛΙΣ ΔΗΜΟΣΘΕ. Ex quibus laudatus Author pag. 152. rectè infert, Vocales E, & H ab Athenienſibus Sculptoribus, & Chalcographis promiſcuè uſurpatas fuiſſe. In eadem ſententia eſt Cuperus, dum numum quendam Antonini Pii à Patino editum exponit, in quo & Diana Epheſina ponitur cum epigraphe : ACTYRHNE pro ἀςυρήνη. Subdit enim : *nec quenquam movere debet, in numo noſtro* E *pro* H *poni, cùm nihil tam in iis, quàm marmoribus frequentius ſit* (a). Oſtendit id deinceps ex aliis numiſmatis, ubi ΑΘΕ. pro ΑΘΗ. ſeu ΑΘΗΝΑΙΩΝ. ΘΕΒΗ. pro ΘΗΒΗ. ΜΕΤΡΟΠ. pro ΜΗΤΡΟΠ. &c. nullo diſcrimine uſurpantur. Confirmat id Jo: Clericus, cùm ait: (b) *conſtat eta, & epſilon ſæpe ab Athenienſibus uſurpata fuiſſe promiſcuè: ùt oſtenditur ex numis & inſcriptionibus*.

6. Quæ deinde vocalium apud Græcos antiquiores fuerit ratio, nos docet Velius longus inſignis Grammaticus. *Eadem*, inquit, *eſt noſtrarum poteſtas vocalium, quæ ſunt græcorum apud antiquos circa productionem, correptionemque: ſiquidem apud illos 5. tantùm fuere vocales* α, ε, ι, ο, υ, *atque hæ ſimiliter producebantur, corripiebanturque; ſicut hodie* α, ι, υ, *quæ appellantur apud ipſos* κοιναί : *poſtea, ùt quidam putant, Simonides invenit duas vocales, quas dixit* μακρὰς, η, & ω, *ut eſſent* (quod diligenter advertendum ἀντίςοιχα τῷ ε, & τῷ ο.

7. His itaque initiis ſenſim crevit, Græcorum lin-

A 2 gua,

(a) Loc. cit. Tom. VII. pag. 294.

(b) Il eſt conſtant, que l'eta, & l'epſilon ſe mettoient l'un pour l'autre aſſez frequemment chez les Atheniens, comme on le fait voir par les Inſcriptions, & Medailles. loc. cit. Tom. VII. pag. 294.

gua, tantumque demum perfectionis conſecuta eſt gradum, ut ſuavitate, copia, & energia omnes reliquas longè anteiret. Eamque ob cauſam dicebat Hor. *Grajis ingenium, grajis dedit ore rotundo Muſa loqui*. Cicero ipſe, etſi laudis cætera parciſſimus, Romanæque dignitatis plus æquo ſtudioſus, tantas tamen Athenienſibus hoc in genere prærogativas tribuit, ut nihil ſupra. *Teſtis eſt* (inquit in Bruto) *Græcia, quæ cum eloquentiæ ſtudio ſit incenſa, tamdiuque excellat in ea, præſtetque cæteris . . . : quàm hæc eſt à Græcis elaborata dicendi vis, atque copia &c. Athenienſes . . .* (ait in Oratore) *quorum ſemper fuit prudens, ſincerumque judicium, nihil ut poſſent niſi incorruptum audire, & elegans . . . . ad Atticorum igitur aures teretes, & religioſas qui ſe accomodant, ii ſunt exiſtimandi Atticè dicere*. Demoſthenem porro quantis non effert laudibus in Bruto, & Oratore! *hoc*, inquit (*a*) *nec gravior extitit quiſquam, nec callidior, nec temperantior. Nihil* (*b*) *acutè inveniri potuit in iis cauſis, quas ſcripſit, nihil . . . ſubdolè, nihil verſutè, quod ille non viderit, nihil ſubtiliter dici, nihil preſſè, nihil enucleatè, quo fieri poſſit aliquid limatius; nihil contra grande, nihil concitatum, nihil ornatum vel verborum gravitate, vel ſententiarum . . . .* de Pericle ibid. *Hujus ſuavitate maximè hilaratæ ſunt Athenæ, hujus ubertatem & copiam admiratæ, ejuſdemque vim dicendi, terroremque timuerunt . . . hæc igitur ætas prima Athenis Oratorem prope perfectam tulit*; & paulò ante: *hæc ætas . . . effudit hanc copiam, & ut opinio mea fert, ſuccus ille, & ſanguis incorruptus uſque ad hanc æta-*

(*a*) In Orat. (*b*) In Brut. ſub init.

ætatem Oratorum fuit, in qua naturalis eſſet, non fucatus nitor. Quæ omnia ſanè argumento ſunt incredibilem eo tempore Athenis fuiſſe, & vim in dicendo, & ſuavitatem, & eloquentiam.

8. Verùm ùt omnia facilè defluunt, ita & paulatim admirabilis illa facundia cœpit neſcio quid de nativa ſua venuſtate amittere. *Nam ùt ſemel* (ait ibid. Tullius) *è Piræo eloquentia evecta eſt; omnes peragravit inſulas, atque ità peregrinata tota Aſia eſt, ut ſe externis oblineret moribus, omnemque illam ſalubritatem Atticæ dictionis, quaſi ſanitatem perderet, ac loqui pene dediſceret*.

9. Quod de cadente eloquentia hoc loco ait Cicero, id & de pronunciatione tot inter gentes exteras paulatim ſe corrumpente hodierni affirmant Critici, & ratio perſuadet. Tempus autem deficientis Græciæ in tres potiſſimùm epochas tribuunt: prima à diviſo poſt Alexandri mortem imperio; altera à translata à Conſtantino Sede imperii; ac tertia demum ab expugnata à Turcis Conſtantinopoli, Thracia, Palæſtina, oriſque finitimis initium ſumit. De prima ità loquitur du Cange (*a*): *Quis neſcit Alexandri Succeſſores, Reges in Ægypto, & Syria eam ità intuliſſe linguam, ut præ patrio Syrorum, & Ægyptiorum ſermone græcus prævaluerit .... hinc Syro Macedonum, & Syro-græcorum nata appellatio*.. Eodem quoque reſpexiſſe videtur Seneca, cùm dixit: *quid ſibi volunt in mediis barbarorum regionibus Græcæ Civitates? quid inter Indos, Perſaſque Macedonicus ſermo? &c.* de altera epocha hunc in modum diſſerit laudatus Author: (*b*) *Verùm tum maximè in græca lingua accidit depravatio, cùm*

(*a*) In Gloſſario Græcitatis in præfat. (*b*) Ibid. num. 5.

cùm Conſtantinus M. in Thracia fixit ſedem imperii. Et Julianus Imper. (*a*) barbariem quam ex nationum exterarum commercio contraxerat, his verbis deplorat. τὰ δὲ ἐμὰ, εἰ καὶ φθεγγόιμην ἑλληνιστὶ, θαυμάζειν ἄξιον, οὕτως ἴσμεν ἐκβεβαρβαρωμένοι διὰ τὰ χωρία. *Num ad me quod attinet, mirum eſt, ſi vel græcè loqui poſſim; tantam ex regionibus iſtis barbariem contraximus*. In ultima denique, quàm fœda linguam hanc invaſerit barbaries, videre eſt apud eundem Du Cange præfatione tota, apud Meurſium in Athenis atticis, apud Cruſium in Turco-græcia ſexcentoſque alios cùm græcos, tùm latinos ſcriptores. Unum hic adduxiſſe ſufficiat Belonium, qui l.1. obſerv. cap.11. ſic ait: οἱ γὰρ πλησιάζοντες λατίνοις τινὰς φωνὰς ἀναμιγνύουσιν &c. *Qui enim latinis vicini ſunt, latinas; qui Saracenis, Arabicas; qui Bulgaris, Bulgaricas voces ſuo ſermoni immiſcent, præterquam quod præterea in pronunciatione peculiaria quædam ſervant idiomata*. Unde mirum non eſt, quod du Cangius aſſerat linguam hanc *eundo tot ſordes contraxiſſe .... etiam eos, qui ornatiùs ſcribere volebant, in barbariem incidiſſe .... ac poſtremis potiſſimum ſæculis, quidquid hactenus ſupererat Græcanicæ eruditionis, evanuiſſe omnino*.

10. Ac quoniam de Græcorum eruditione hìc mentio facta eſt, quis ſcholarum ſtatus fuerit, obiter videamus. De his itaque comperta ſunt ſequentia: 1. floruiſſe eas non modò aureo Platonis, Demoſthenisque ſæculo; verùm etiam ſuum utcunque ſplendorem retinuiſſe ſaltem uſque ad tempora Concilii Niceni, h. e. ad annum Chriſti 325. Magiſtros porro celebres habuiſſe qua-

(*a*) Epiſt. LV. relata ibid.

quatuor in Urbibus, puta Athenis, Conſtantinopoli, Cæſareæ, & Alexandriæ, ut oſtendit R. P. Jo: Bapt. Salerni (*a*). Compertum ſecundò; ſtudium græcum non omnino quidem, ùt in latina Eccleſia, fuiſſe extinctum; etſi multum fuerit obſcuratum ac ſexto jamtum ſæculo pene neglectum; propterea quòd magna undique ùt author eſt Fleury, (*a*) per Muſulmannos invaleſceret ignorantia, dura ſervitus, linguæ vulgaris mutatio, aliaque ſtudiorum impedimenta. Septimo deinde, atque octavo Sæculo major adhuc ſtudiorum ruina ſubſecuta eſt, turbantibus omnia (*b*) Muſulmannis, Scythis, Ruſſis, Bulgaris, *eoſdemque pene effectus producentibus quos protulerant in Occidentali Eccleſia Septentrionales populi*. Immo, quod deplorandum magis, in ipſis etiam templis ità exoleſcere cœpit græcus ſermo; ejuſque loco pro regionum diverſitate vernaculus intrudi, ut ſoli propemodum Melchitæ græco idiomate ritus peragere pergerent. *Græca lingua*, verba ſunt Fleurii (*c*) *conſervata apud neminem fuit, niſi per Religionem apud ſolos Melchitas; Neſtoriani enim Syriaco ſermone utebantur in templis; Jacobitæ Coptico, aut antiquo Ægyptio: ac proinde, cum omnes libri ſacri, & profani græcè olim conſcripti eſſent, neceſſe erat eos aut vertere, aut linguam illam addiſcere; id quod ſtudia reddebat admodum difficilia &c.*

II. At-

(*a*) In Specim. Orient. Eccleſiæ. P. 1. c 10. de ſtatu literario.

(*b*) Fleury ad annum 600. Tom. XIII. hæc habet: *les Muſulmans ſans exterminer abſolument le Chriſtianiſme diminuerent extremement le nombre des vrais chretiens, & les commoditez d'etudier, le changement de langue y contribuoit.*

(*c*) *Le Grec ne fut conſervé, que par la religion, & chez les Melquites ſeulement, car les Neſtoriens faiſoient leur ſervice en Syriaque, & les Iacobites en Cofre, où ancien Ægyptien. ainſi comme tous les livres Eccleſiaſtiques où profanes etoient en Grec' il fallut les traduire, où apprendre cette langue, ce qui rendit les etudes bien plus difficiles.*

11. Atque hic ferme erat Græciæ univerſæ ſtatus, uſque dum Baſilio Macedonio imperante Photius jacentia diu ſtudia excitavit denuo, & quaſi poſtliminio revocavit. Plura de his qui volet, conſulat *præfationem du Cangii in Gloſſarium*; *Cruſii Turco-græciam*, *Fleurii hiſtoriam Eccleſ. R. P. Salerni Specim. Orient. Eccleſiæ*, alioſque Authores à nobis relatos.

§. II.

Statuitur Controverſiæ κρινόμενον.

12. PRæmiſſa tantiſper hac rerum deinceps dicendarum quaſi promulſide, ad ipſum controverſiæ caput veniamus. Et quantum ego quidem exiſtimo, quæſtio hic eſſe non poteſt de primæva illa lingua Cadmea; neque de vulgari, quæ hodie inter græcam plebem obtinet. Utramque enim à celebri illo Atticorum ſermone, & elocutione immane quantum diſſidere in aperto eſt. Tota igitur controverſia eò demum recidit, utrum lingua, quæ Platonis, Demoſthenisque ævo tantopere Athenis floruit, & foris æſtimata fuit eadem ſit cum illa, qua hodie inter vos utuntur viri literati in ſcholis, & templis; an verò temporibus deinde conſecutis quidquam in pronunciatione vel phraſi contraxerit vitii?

13. Huic ut quæſito pleniùs reſpondeam, oſtendere conabor primò, hanc veſtram linguam à veteri longè receſſiſſe & quoad phraſin (& quod hìc maximè agitur), quoad vocalium, diphthongorumque pronunciationem. Conjecturis deinde variis, nec longè petitis, eruere ſtude-

ſtudebo , in quarum demum diphthongorum , vocalium , conſonantiumve prolatione ab antiquis diſceſſum fuerit . Tum argumenta in contrarium adferri ſolita accuratè diluam ; ac demum coronidis loco addam quid de vulgatis accentibus , ſyllabarum quantitate , linguæ ſuavitate aliiſque hujuſmodi rebus ſentiendum ſit . Claudetur tota diſputatio brevi diſquiſitione , an ſupppſita etiam tanquam vera hac , quam traditurus ſum theoria , ad Platonicam potius , an ad receptam hodie inter vos pronunciandi rationem præſtet ſe aſſuefacere ? conferamus nunc propiùs pedem , & videamus à qua parte major militet ratio .

PARS PRIMA

Oſtenditur, linguam qua hodie literati in Græcia utuntur multum defeciſſe â veteri Athenienſium.

§. I.

Oſtenditur defeciſſe quoad phraſin.

14. Duabus præcipuè in rebus corrumpi linguæ ſolent, in phraſi nimirum, & pronunciatione. Utrumque linguæ veſtræ accidiſſe jam faciam, ni fallor, manifeſtum; & quoniam non tam de priori, quàm poſteriori hîc parte demonſtranda laboro, ſatis erit mihi priorem uno altérove, quod ab exemplo, authoritatève ducitur, argumento comprobaſſe.

15. Videamus igitur primùm, quæ aliarum hac in re linguarum fuerit conditio; ut vel indè ſatis appareat, quàm difficilem in vos ſuſcipiatis provinciam; dum linguam hanc veſtram communi rerum omnium lege exemptam, nulla corruptione afflatam, nulla coinquinatam labe fidenter aſſeritis. Atque, ut de Hebraica initium faciamus, quis neſcit, quantas illa vices, quàm fœdas mutationes ſubierit vel ex ſolo cum gentibus peregrinis commercio? Devenerunt eò in captivitate Babylonica Judæi, ut vernaculi idiomatis obliti, neſcio quam

Digitized by Google

quam ex Chaldæo, Syriacoque idiomate mixtionem fecerint. Biblia ipſa hebræa, & græca (quæ pluris certè, quàm omnes græcæ linguæ apices conſervari intererat) adeò tamen & librariorum incuria, & temporum vitio depravata fuere, ut mendis omnibus literariis, & grammaticis ea repurgare fruſtra hactenus attentarint eruditi. Argumento ſunt tot lectiones variantes, quarum 2484. apud Rob. Stephanum, tot item loca mutila, & deficientia, quorum 280. apud eundem, pluraque alia apud Waltonum & R.P. Natalem Alexandrum longa ſerie extant (*a*). Ab Hebræis ad latinos veniamus. Deum immortalem! quanta hic non rerum, vocum, phraſis, orthographiæ, loquelæ facta fuit mutatio! pleni ſunt libri, plena antiquariorum, & grammaticorum volumina, quò lectorem nè operam perdamus, conſultè remittimus. Revertamur ad Græcos: Plato ipſe fatetur in Cratylo, mutatam ad ſuam uſque ætatem fuiſſe & linguæ ſonum, & varias ex gentibus finitimis adſcitas voces; eaſque ita ſæpe detortas fuiſſe, atque inflexas, ut eorum inveſtgari ἔτυμον, aut origo vix poſſit. Idem ſæpiſſimè de latina confitetur Varro (*b*), & quod ante illorum ætatem accidit, id ante noſtram ſecutis deinde temporibus accidiſſe quis neget? Maximè cùm tot gentibus, tamque variis, græcorum natio identidem commixta fuerit? Candidiore certè animo erat Julianus, & Ovidius, dum ille in epiſtola ſupra relata, hic verò ſequentibus verſibus, quantum linguæ ſuæ obfuerit cum peregrinis cohabitatio, abunde declarat (*c*).

(*a*) Vide ejus Diſſert.40. ad Sæcul.IV. & Waltoni polyglotta.
(*b*) In lib. de lingua lat.
(*c*) De Ponto l.4. eleg.13.

Digitized by Google

Nec te mirari (inquit) *ſi ſunt vitioſa , decebit*
Carmina , quæ faciam pene poeta Getes .
Ah pudet , & getico ſcripſi ſermone libellum ,
Structaque ſunt noſtris barbara verba modis .

16. Et veſtram vos linguam illimem per tot hominum barbarorum ora fluxiſſe contendetis ? At quo demum nixi fundamento ? An forte , ùt mihi aliquando reſponſum fuit , quod extent adhuc Platonis , Demoſthenis , aliorumque Oratorum , & poetarum ſcripta ? quod extent Chryſoſtomi , Baſilii , aliorumque liturgiæ , & Euchologia ? verùm quid hoc ad rem ? numquid etiam apud latinos Ciceronis , Livii , cæterorùmque ſcripta extant ? an idcirco eundem adhuc in ſcribendo & loquendo nitorem , & vim ſervamus ? annon aliæ ſenſim phraſes , & loquendi formulæ etiam à ſcriptoribus cætera doctis inductæ , uſurpatæque fuerunt ?

17. Verùm quorſum hæc tam operosè contra vos diſputo? nonne & obvia & ad manum ſunt exempla pene innumera ejuſmodi barbariſmorum, queis etiam hodie literati veſtri , cùm græcè loqui volunt , utuntur . Quoties non audivi, cùm vos ſalutabatis, verba quidem græca, at Syntaxin ridiculam ! cujuſmodi ſunt : καλ' ἡμέρα *buon giorno* . καλη 'σπέρα ; *buona notte* , ἔχετε καλὴν νύκτα &c. ; quibus uti certè Plato vel Demoſthenes erubuiſſet . Dixiſſent illi potiùs χαῖρε , εὐτύχει , ὑγιαίνετε , ἔρρωσο ; aut quod veteres dicebant Chriſtiani φῶς ἀγαθὸν , & ſimilia . Quid dicam porro de innumeris hujuſmodi aliis , v. c. εἰμὶ παρὼν , pro *adſum* . ἀκούω τὴν λειτουργίαν , *ſento la meſſe* . καλὸς ἄνθρωπος . *un huomo da bene* &c. Omitto cætera : Scripſit enim jam pridem de his vocibus (quas ſcitè appellat λέξεις ξένως εἰρημένας) librum integrum

grum Dorotheus apud Photium; congeſſit integras myriades illarum Simon Portius, & poſt illos du Cangius: quò etiam referri merentur voces plurimæ à latinis mutuatæ, græciſque duntaxat ſcriptæ characteribus, ùt ſunt κυράτωρ, ληγάτον, κόμητι, ἐξκυσατίων &c.

18. Immo fatentur id ipſi Græci, quorum plures adducit du Cange l. c. Belonius l. 1. obſerv. c. 11. ità ait; οἱ γὰρ πλησιάζοντες λατίνοις &c. *Qui enim latinis vicini ſunt, latinas; qui Saracenis Arabicas; qui Bulgaris Bulgaricas voces ſuo ſermoni admiſcent; præterquam quod præterea in pronunciatione peculiaria quædam ſervant idiomata*. Huic aliiſque loco cit. relatis adjungamus Alexandrum Helladium, hominem natum, educatumque in Græcia, nationiſque veſtræ defenſorem acerrimum in libro, quem inſcripſit *de ſtatu præſenti Eccleſiæ græcæ*. Hic, inquam, etſi græcorum ſtudioſiſſimus, hanc tamen corruptionem manifeſtè agnoſcit, cùm ait (m.p.17.) *deflexiſſe quidem modernam linguam græcorum à lingua græcorum Homerica, aliorumque poetarum; à lingua Platonica aliorumque philoſophorum; à lingua Demoſthenis, aliorumque Oratorum; à lingua Thucydidis, aliorumque hiſtoricorum non inficias ibo: nam mihimet ipſe teſtis ſum; ac alii docti, ac eruditi viri facilè mecum conſentiunt, me tres integros annos ludibundam operam ad hos authores percipiendos impendiſſe*. Agmen claudat ipſe du Cangius, qui quod de hodiernis ſcriptoribus, in quibus verſatiſſimus erat, tulerit judicium his verbis abunde declarat. *Ex iis* (inquit loco ſæpe cit.) *qui ornatiùs ſcribere volebant in barbariem incidere, intruſis multis novis, confictis, ac barbaris vocabulis; cujuſmodi ſunt plerique Bizantinæ hiſtoriæ ſcriptores, quorum alii cultiores, ùt*

Theo-

Digitized by Google

Theophylactus Simocalla, Nicephorus Conſtant. Patriarcha, Conſtantinus Porphyro genitus, Niceph. Bryennius, Gregoras, Nicetas &c. Aliorum verò aliquot longè pluribus exteris iſtis, & è vulgo mutuatis vocabulis ſcatent & fœdantur libri, ùt Theophanis ... Leonis grammatici, Leonis Diaconi, Simeonis Metaphraſtæ, & ſimilium; poſtremis potiſſimùm ſæculis, in quibus, quidquid hactenus ſupererat, Græcanicæ eruditionis evanuerat omnino &c.

19. Quæ hactenus de lingua græca quoad phraſin ſenſim corrupta attulimus, conſonant mirificè cum iis, quæ eruditi noſtri Patres Trevoltiani ea de re in Lexico ſuo univerſali pronunciant. (a) .... *cette langue* (ſunt verba Lexici) *s' eſt conſervè plus longs tems, qu' aucune autre malgrè les revolutions .... elle a ètè altere' peu à peu depuis que le Siege de l' Empire Romain eut e'te' transfere à Conſtantinople, juſqu' au* 15. *Siecle. Ces changemens ne regardoient point d' abord .... la conſtruction, les inflexions des mots .... mais dans la ſuite les incurſions des barbares, & ſurtout les invaſions de Turcs y ont cauſe' des changemens plus conſiderables.* hæc autem non de plebejo, & vulgari Græcorum ſermone, ſed de antiquo, & literali potiſſimùm intelligi oportere planum fit vel ex ipſo articuli ibidem relati titulo, qui eſt *de lingua Græca, antiqua, literali.* Sed pluribus his immorari non vacat: ad præcipuum controverſiæ caput progrediamur.

§. II. *Oſten-*

(a) Voyez le grand Diction. de Trevoux, lit. G, *Grec ancien, literal.*

§. II.

Oſtenditur defeciſſe pariter quoad pronunciationem.

20. PRonunciationem hodiernam corruptam eſſe expeditiori via oſtendi non poſſe exiſtimo, quàm ſi demonſtravero aliam planè eſſe illam ab ea, quam Plato, quam Demoſthenes, quam Iſocrates cæterique Græcæ facundiæ & ſuaviloquentiæ principes quondam uſurparunt. Neque hoc à ſano quoquam in dubium revocari poſſe arbitror. Reſtat itaque, ut ex Platone, Plutarcho, Ariſtotele Terentiano Mauro, aliiſque ejuſdem, vel ſupparis ætatis authoribus vobis comprobem quanta ab eorum loquendi ratione per vos diſceſſio facta ſit. Audiamus primum ſingulos ordine, tum quid indè contra vos confici poſsit, videamus. Plato itaque in Cratylo ſic ait: οἶσθα ὅτι οἱ παλαιοὶ οἱ ἡμέτεροι τῷ ἰῶτα, καὶ τῷ δέλτα εὖ μάλα ἐχρῶντο. καὶ οὐχ ἥκιστα αἱ γυναῖκες, αἵπερ μάλιστα τὴν ἀρχαίαν φωνὴν σώζουσι. νῦν δὲ ἀντὶ μὲν τοῦ ἰῶτα ἢ ε, ἢ ἦτα μεταστρέφουσιν, ἀντὶ δὲ δέλτα ζῆτα, ὡς δὲ μεγαλοπρεπέστερα ὄντα. ER. πῶς δή; ΣΩ. οἷον οἱ μὲν ἀρχαιότατοι ἱμέραν τὴν ἡμέραν ἐκάλουν, οἱ δὲ ἑμέραν, οἱ δὲ νῦν ἡμέραν. ER. ἔστι ταῦτα. ΣΩ. οἶσθα οὖν, ὅτι μόνον τοῦτο δηλοῖ τὸ ἀρχαῖον ὄνομα, τὴν διάνοιαν τοῦ θεμένου. ὅτι γὰρ ἀσμένοις τοῖς ἀνθρώποις, καὶ ἱμείρουσι ἐκ τοῦ σκότους τὸ φῶς ἐγίγνετο, ταύτῃ ὠνόμασαν ἱμέραν. φαίνεται. ΣΩ. νῦν δέ γε τετραγῳδημένον οὐδ' ἂν κατανοήσαις, ὅτι βούλεται ἡ ἡμέρα. *Noſti majores noſtros literis his jota, & delta frequenter uti*

uti ſolitos : mulieres verò maximè , quæ priſci ſermonis ſonum purius conſervant . Nunc verò literas ι , & η ità deflectunt , ut pro jota utantur epſilo , vel eta ; pro delta verò zeta , quaſi magnificentiùs quiddam hoc pacto ſonent vocabula . HERM. quu ratione ? SOCR. Vetuſtiores nempe dicebant ἱμέραν , *alii* ἑμέραν *: nunc verò* ἡμέραν . *HERM. ità ſanè eſt . SOCR. Vides igitur antiquum hoc nomen ſaltem oſtendere inſtitutoris mentem , atque ſententiam , quod nimirum ſumma hominum voluptate , illiſque* ἱμείρουσιν (id eſt deſiderantibus) *lux è tenebris extiterit , ideo* ἱμέραν *vocarunt . HERM. videtur . SOCR. Nunc verò* ἡμέρας *vocabulum tàm audaci inſolentique mutatione detortum eſt , ut quænam ſit illius notatio , & quid ſibi velit , minimè poſſis perſpicere .* Hunc certè locum cur tot viri eruditi prætermiſerint , non intelligo . Solus enim ille, ſi attentiùs conſideretur , ad rem totam conficiendam ſufficere videri poterat . Apertè enim ex verbis hactenus relatis colligitur , aliter longè ſonuiſſe Platonis ævo jota , quàm eta , aliter item eta , quàm epſilon ; Sono nempe non perinde exili & tenui , ſed graviori potiùs , ità ut *magnificentius quoddam hoc pacto ſonarent vocabula* : ac proinde Atticorum pronunciationem nequaquam jota , & eta inter ſe confudiſſe , ut hodie Græci faciunt . At , cùm infra ex locis adhuc aliis mox recitandis totum collecturi ſimus ratiocinium , argumentis his tantiſper diſſimulatis ad reliqua antiquiorum pergamus teſtimonia ,

21. Terentianus Maurus , antiquiſsimus , & Martiali ùt perhibetur , coævus Grammaticus , de ſonis literarum hæc nos edocet :

Li-

Literam namque E videmus eſſe ad ἦτα proximam ,
Sicut ο & ω videntur eſſe vicinæ ſibi :
Temporum momenta diſtant ; non ſoni nativitas .

22. Ælius Dionyſius ait *ο* ſummis labris pronunciandum ; *ω* verò totum implere palatum ; eo fere modo , ùt explicat Caninius , quo Itali in *Torre* dum turrim ſignificat , *o* breve ſonant ; dum verò pro *auferre* accipitur , *o* producunt . Item in voce *capello* , dum capillum ſignificat , e proferunt acutum ; dum contra ſignificare volunt pileum , e longum ſubſtituunt . Similia occurrunt hodie in lingua Gallica , quæ tria e ; & in Germanica , quæ vocales longas & breves accuratè in loquendo diſtinguit .

23. Plutarchus Sympoſiacon l.ix. quæſt.3. ait: τὰ μὲν . . . φωνήεντα . . . πρωτεύειν τῶν ἀφώνων , καὶ ἡμιφώνων , ἐν δὲ τούτοις τῶν μὲν μακρῶν ὄντων , τῶν δὲ βραχέων , τῶν δὲ ἀμφοτέρων , καὶ διχρόνων λεγομένων ταῦτα εἰκότως τῇ δυνάμει διαφέρειν. *Vocales mutis , & ſemivocalibus anteire ; interque illas , cùm aliæ longæ , aliæ breves , aliæ ancipites habeantur , illas haud dubiè poteſtate differre .*

24. Longas porro à brevibus quàm accuratè olim diſtinxerint eruditi , nos docet laudatus ſupra Terentianus Maurus , cùm de ε , & η , deque ο & , ω hæc tradit præcepta ,

Igitur ſonum reddere cùm voles minori
Retrorſum adactam modicè teneto linguam ;
Rictu neque magno ſat erit patere labra :
At longior alto tragicum ſub oris antro
Molita rotundis acuit ſonum labellis ,
Minor eſt ε , ο ; longior η , ω .

25. Hactenus de vocalibus: nunc quomodo diphthongi pronunciatæ fuerint eodem diſcamus Magiſtro.

Et ſonos utroſque jungit, unde diphthongos eas
Graciæ dicunt Magiſtri: quod duæ junctæ ſimul
Syllabam ſonent in unam; vique gemina præditæ
Semper effectum duorum temporum cuſtodiunt.

26. Vos verò, qui nunc ι, & η contra, quam Terentianus præcipit, eodem prorſus modo pronunciatis, qui nullum inter ἱμέραν & ἡμέραν, ùt Plato faciebat, diſcrimen agnoſcitis, qui ſonos τῶ ι, ϵ, & η non amplius diſcernitis, qui vocales natura longas & breves inter ſe & *ſono*, & *temporum momentis* confunditis, diphthongos quæ ab *utroque ſono*, Terentiano teſte, à *Graciæ Magiſtris* ità dictæ fuere, vique *gemina erant præditæ* unico tantum ſono profertis, & in μονοφθόγγους, ùt Platonis utar verbis, *inſolenti mutatione detorquetis*; qui duplices ſæpe ùt ſimplices, & ſimplices contra ùt duplices effertis, ταυτοφωνίαν, & μονῳδίαν *quæ*, ùt ait Plutarchus (a) *moleſta & faſtidioſa in omnibus eſt*, ubique invitâ etiam Minerva intruditis, per 7. pluriumque literarum ſimilem ſonum ità res omnes & voces inter ſeſe confunditis, ùt idem ſonet *nobis*, quod *vobis*, (ὑμῖν, ἡμῖν) *longum*, quod *breve* (μηκρὸν, μικρὸν) *equis*, *ais*, *ſubes* (ἵπποις εἶπεις, ὕπνις) idem ἔρως & ἥρως; ἶδος, & ἦδος, βέλος, & βήλος. Βόλος, & Βῶλος πόρος, & πῶρος, χολὴ, & χωλὴ, & innumera alia, quæ hìc omnia perſequi longum foret, Vos, inquam, qui tot, tantiſque in rebus à veteri Græcorum loquendi norma diſceditis, adhuc

(a) De puer. educat. μονῳδία ἐν ἅπασιν ἐστι πλήσμιόντι, καὶ πρόσαντες.

adhuc perſuadebitis vobis, nihil in hac veſtra pronunciatione mutatum, nihil corruptum, nihil depravatum fuiſſe?

27. Accedit, quod Ariſtoteles in libris quos de *repreh. Sophiſt.* inſcripſit, diligentiſſimè recenſeat omnes, quæ vel ſcripto, vel voce admitti poſſunt æquivocationes: nuſquam tamen vel verbulo innuerit quidquam de facillima illa per vocalium aut diphthongorum æqualem ſonum in fraudem alios inducendi via: quod tamen certiſſimè facturus fuiſſet ſi ea ætate ι, η, υ, οι, ει, υι, ῃ, eodem modo prolatæ fuiſſent: præſertim, cùm in æquivocationum harum fontibus detegendis, ùt obſervavi, his in libris adeò religioſus ſit, ut nè minutias quidem prætermittat.

§. III.

Diluuntur argumenta contraria.

28. INter cætera, quæ ad vindicandam ſibi antiquam illam ὀρθοέπειαν Græci hodierni adferunt, validius nullum unquam aut legere, aut audire mihi contigit, quàm quod mihi non ſemel obmovit noſter P. Thomas Velaſti; vir in Chio inſula natus, atque educatus, totâ Peloponneſo, Archipelago, Sicilia, Apulia, aliiſque Italiæ & Græciæ partibus peregrinatus, linguæ inſuper, & morum, quos Græci habent, peritiſſimus. Is hunc ſæpe in modum mecum diſputavit: Unde demum, ajebat, illa, quam multi nobis objiciunt pronunciationis corruptela? Omnes certè, quotquot uſquam terrarum Græci ſuàt, eodem prorſus modo pro-

nunciant (*a*) quamvis vulgaris ſermo plurimum inter ſe diſcrepet? Nemini profectò Græcorum,pergebat ille, ante Eraſmum in mentem venit de re tam explorata dubitare. Unde igitur ipſa in loquendo, cantando, pronunciando tam mirifica conſonantia? Quodſi verò totam Græciam de vitio poſtulas, quis fidem habebit aſſerenti? quo enim pacto obſecro labes hæc & corruptela nationem integram pervaſit? ſenſimne, ac pedetentim, an ſimul? Si ſimul,vide ſis,ajebat, nè majus confuſione Babylonica adſtruas prodigium! ſi ſenſim? qua demum ratione effectum eſt, ut nemo huic ſe mori opponeret, nemo reclamaret? quin omnes ad eandem continuò loquendi normam ora componerent, voces in iiſdem omnino ſyllabis & attollerent, & deprimerent? ità fere Velaſtius.

29. Fateor ineſſe ſuam huic argumento vim, & robur. Verùm lectorem monitum velim, duo hìc diligenter à ſe disjungenda, atque ſegreganda eſſe. Primum, an hodierna pronunciatio ab antiqua diſceſſerit? alterum, quæ demum, ſi qua facta eſt, mutationis cauſa, occaſio, aut epocha fuerit? primum, niſi fallor, ad oculum ſupra demonſtratum eſt (*b*). Alterum verò oſtendere nec inſtituti mei eſt, nec, quantum ego quidem opinor, in ullius hominis ùt ùt eruditiſſimi poteſtate poſitum. Oſtende enim mihi, ſi potes, mi Velaſti, quando, quave occaſione factum fuerit, ùt quæ quondam in latina, Gallica, Germanicaque lingua ſcriben-

(*a*) Excipe Siculos, & alios quoſdam, qui in quibuſdam literis Velaſtio fatente differunt.

(*b*) §. toto præcedente. Ex Platone, Ariſtol. Plutar. Terentiano &c.

bendi, & pronunciandi ratio fuerat, in præſentem commutata fuerit? Erat, cùm ſcriberetur, & diceretur: *voſter*, *vorto*, *carnufex*, *æſtumo*, *Divom*, *Avom*, *taboleis*, *poblicè*, *bau*, & innumera ejuſcemodi; Erat cùm & græci notis illis inter ſe uterentur dialectis, cùm ſinè ſpiritu, ſinè accentu, atque alio prorſus modo ſcriberent, quàm hodie ſcribimus, quàm loquimur, ùt ſupra oſtendimus. Unde igitur (eodem ego jure te interrogo) unde demum tanta in loquendo, pronunciando, ſcribendoque extitit mutatio? quæ cauſa? quis author? num defuere, qui reſiſterent, qui reclamarent? unde amabo iſta in omnibus hodie gentibus (4, vel 5 literas ſi exceperis) quum latinè loquuntur, aut ſcribunt conſenſio? ipſa inquies rerum in conſtantia, & viciſſitudo horum cauſa eſt, ipſe ſenſim invaleſcens uſus, penes quem, ùt ait Hor. arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi. Idem igitur & in re præſenti reſponſum cape! *corruptio enim bæc*, ùt rectè ait Waltonus (*a*) *accidit ex rerum omnium viciſſitudine*, *quam tempus edax rerum in linguis efficit*. *Hujuſmodi enim mutationes*, ait Jo: Clericus (*b*), *non accidunt*, *niſi ſenſim ſine ſenſu*, *atque ipſo populi uſu*; *cujus neque initium*, *neque progreſſum poſſumus oſtendere*.

30. At conſentiunt omnino, neque maxima tantùm in parte, ùt latini; ſed quoad omnes inter ſe apices hodierni Græci; homines quidem, ùt conſtat, adeò rituum ſuorum tenaces? adeò in retinendo antiquo Sacerdotum

(*a*) In Polyglott. c.2. proly. §.16.

(*b*) Le Clerc. dans ſa biblioth. Tom.VII. p.299. *Ces ſortes de changements ne ſe font, qu' inſenſiblement, & par l' uſage du peuple; dont on ne peut marquer ni le commencement, ne le progrès.*

dotum habitu, in ædificandis ad eandem normam templis, in reſpuendo Calendario Gregoriano, aliiſque plurimis ſuperſtitioſi, atque pertinaces? Verùm, ùt græco tecum utar proverbio, quid hæc ad farinam? Nunquid & hebræi rituum, & antiqui moris erant tenaciſſimi? & tamen Babylone omnem linguæ ſuæ vernaculæ amiſerunt notitiam, & uſum? nonne & Romani eodem linguæ ſuæ perficiendæ, ſuaque in puritate conſervandæ flagrabant ſtudio, & tamen communi huic fato ſe nequiverunt ſubducere? Protulit aliquando Cajus, ni fallor, Imperator vocem minùs latinam, petiitque continuò ut ea, nè erroris ipſe inſimulari poſſet, Civitate donaretur: at reſponſum fuit, Civitate ſe donare poſſe gentes exteras; non voces (*a*). Negabatur ſub initium multis in latio populis facultas latino utendi ſermone, nè ſcilicet dum tot per ora flueret, labis aliquid, aut nævi traheret (*b*). Noluit Cato, & ipſius deinceps exemplo alii, apud Græcos alio uti ſermone, quàm latino, ut vel indè appareret, quanto ſuam haberent in pretio. reprehendit Cicero in libris de Offic. eos, qui nulla neceſſitate latino ſermoni græca quandoque inſerebant. Imperator quidam Romanus (nomen mihi excidit) cùm aliquando vocem græcam prolaturus erat in Senatu, veniam præfatus eſt &c. Et tamen tanta cura, tantum primævi ſplendoris conſervandi ſtudium efficere non potuit, ut (ante incurſionem etiam barbarorum) in pejus vergere lingua cœperit. Vide igitur ſis mi Velaſti, quàm cario-

(*a*) Voyez l'hiſtoire Romaine du P. Catrou.
(*b*) Voyez le même.

carioſo fundamento nitaris, dum Græcorum tenacitate cauſam tuam ſuſtinendam putas.

31. Leviora ſunt, quæ in Collegio Græco mihi obmota fuere: nimirum, nunquam defuiſſe homines eruditos in Græcia; nuſquam extare immutationis hujus apud ipſos ſuſpicionem, vel indicium; floruiſſe aliquas ſemper ſcholas in Oriente; primum hujus ſententiæ authorem fuiſſe Eraſmum, eique turpiter fuiſſe impoſitum, & ſimilia. Hæc enim, ità breviter expedio: 1. eruditos ſemper aliquos extitiſſe non inficior; liquet id Fabricii bibliothecam vel obiter intuenti. 2. Mutationis hujus nullam quidem in Græcorum ſcriptis mentionem fieri, fateor: at non miror; cùm ob rationes num. 29. allatas, tùm quia plurima Athenis, Conſtantinopoli, & in Ægypto vel conflagrarunt, vel barbaris in prædam ceſſerunt. Recolenda hìc etiam, quæ ſupra num. 9. & 10. ex du Cangio, & Cruſii Turco-græcia recitavimus. Scholas porro in Oriente nunquam omnes ſaltem uſque ad Sæculum VI. conticuiſſe, jamtum num. 10. oſtendimus; monentes ſimul, eas fuiſſe Sæculo VII. pauciſſimas; totâ græcæ linguæ ſcientiâ ùt vidimus ex Fleury, apud ſolos Melchitas utcunque conſervatâ, ex quorum deinde ſcholis, cùm tempore Photii reviviſcebant ſtudia, modum hodiernum pronunciandi ad reliquas ſenſim græcorum ſcholas dimanaſſe, ſi quis contendere voluerit, non repugno. Verùm cùm tot ex ſignis, tamque perſpicuis Authorum teſtimoniis corruptionem pronunciationis demonſtraverimus, his demum conjecturis immorari neceſſum non eſt. Quam denique de Eraſmo quidam narrant hiſtoriam, quàm vera ſit, non diſputo. Hoc ajo, reſuſcitaſſe potiùs ipſum hanc ſententiam, quàm

quàm excitaſſe. Siquidem multis ante ipſum Sæculis voces has ἦτα, θῆτα, ζῆτα non ſecus à latinis, quàm *eta*, *theta*, *zeta* pronunciatas fuiſſe, cùm ex alphabeto quod ex MS. XII. ineuntis Sæculi adfert Mekerkius, tùm ex pluribus locis quos infrà ex Auſonio, Martiali, Juvenali, aliiſque adducam, clarius eſt, quàm ut negari poſſit.

PARS SECUNDA

In quibus demum vocalibus, conſonantibus, & diphthongis à veterum pronunciatione diſceſſio facta fuerit.

CAPUT I.

De B *conſonante.*

32. PRima itaque, quæ in controverſiam adducitur, eſt Beta conſonans, quæ quidem vulgò ità profertur, ut non tam B, quàm V latinum ſono referat. *Verùm ineptè*, inquit Henr. Stephanus, *& contra uſum venerandæ antiquitatis . . . ſonanda eſt, ut prior ſyllaba gallicæ dictionis, bête, quæ beſtiam ſignificat*. Probat id ex figura quam cum latino B communem habet; item ex ſono hebræi Beth, id quod etiam facit *Euſeb. præpar. Evang. l.* 10. *cap.* 5. Verùm ejuſmodi conjecturas non moror.

33. Præplacet mihi, omniumque inſtar rationum eſt locus ille Platonis in Thæteto, in quem nuper mero quaſi caſu incidi. τότε σίγμα, ait Plato, τῶν ἀφώνων ἐστὶ ψόφος τὶς μόνον, οἷον συριττούσης τῆς γλώττης. τοῦ δ' αὖ βῆτα οὔτε φωνὴ, οὔτε ψόφος. *Sigma*, inquit, *eſt mutarum tantùm literarum ſtrepitus quidam, tanquam ſibilante lingua: literæ beta autem nec vox, nec ſtrepitus quidem ullus ſubeſt*. Ex quo loco manifeſtum eſt, opinor, Beta rectiùs ab illis enunciari, qui ore illud clauſo, molliter-

literque omnino ùt latinum b proferunt, quàm qui illud ad V conſonantis ſonum detorquendò, neſciò quem ei ſtrepitum, aut vocem affingunt.

34. Confirmat utrumque mirificè Auſonius græcis, latiniſque literis eruditiſſimus, dum ait:

Dividuum Beta monoſyllabum Italicum B.

item. V. *ferale ſonans Cecropiis ignota notis*.

35. Mekerkius vidiſſe ſe ait Pſalterium latinis exaratum literis anno Chriſti 1105. in quo occurrebant identidem hæ voces: *baſileus*, *uranu*, *autu*, *Eccleſia*, *&c.* nuſquam verò *faſileſ[illegible]* *aſtu*, *Ecliſia* &c. ad calcem ejuſdem MS, adſcriptum erat alphabetum græcum, literarum poteſtates hoc modo enuncians, *beta*, *eta*, *theta*, *zeta &c.*

36. Et verò ſi B pronunciandum fuiſſet, ut V conſonans, lingua græca deſtituta fuiſſet ſecundâ literâ alphabeti Phœnicum, ex quo ipſa tota nata, atque efformata fuit; quod prorſus eſt incredibile, ut ait Clericus. Huc pertinet quoque argumentum, quod quidam ex ipſa *alphabeti* etymologia, & ovis balatu ducunt; verùm cùm certiora ad manum ſint, iſta in præſens omittamus.

37. Plus roboris habere videtur illud, quod ex voce *bini*, aut potius *binei* (ùt tum temporis ſcribebatur): à Pæto cum obſcœna græcorum voce *βίνει* confuſa eruditi colligunt (*a*). Nam ſi βινει pronunciabatur *vini* vel *fini*, ùt volunt Græci, quæ in verbo græco *vini*, & latino *binei* ſoni poterat eſſe cognatio? quæ demum obſcœnitas? Scripſiſſe autem eâ ætate Romanos & pronunciaſſe

(*a*) Ex epiſt. Cicer. ad Papir. Pætum quæ incipit: *Amo verecundiam*.

ciaſſe *binei* pro *bini*, ex duobus præſertim locis manifeſtum eſt. Primus eſt A. Gellii (*a*) dicentis: *ſi hujus amici, vel hujus magni ſcribas, unum i facito: ſi verò hi magnei, hi amicei, caſu multitudinis, tum* E *ante* I *ſcribendum erit* (*b*), alter locus eſt Voſſii (*c*), ubi *latinis*, inquit, *i longum ſonabat ùt* EI *adeo, ut nihil referret, hic ſcriberent, an heic*.

38. Cæterùm mihi, quidquid ſit de aliis, ſufficere videntur, quæ ſuperiùs ex Platone, & Auſonio recitavimus; quibus verbis aliquod adhuc pondus addere videtur Plutarchus (*d*), dum apertè docet Β ad ſonum τοῦ π fermè acceſſiſſe. *βύσιος menſis, ùt plerique putant φύσιος eſt à naſcendo ſic dictus . . . ſed ità res ſe non habet. Non enim φ litera pro β utuntur Delphi, ſed loco literæ π: ſolent enim πατεῖν, καὶ βαθεῖν; πικρὸν, καὶ βικρὸν æqualiter pronunciare. Eſt ergo βύσιος dictum pro πύσιος,* (*e*) *quod eo tempore Deum ſciſcitabantur*. Quem locum miror à nemine, quod quidem ſciam, hactenus fuiſſe adductum.

39. Omitto hìc alia plura à Clerico, Voſſio, Stephano, aliiſque toties allata, & in vulgus nota. Hoc tantùm obiter obſervo, quod ſi græci habuiſſent conſonantem latino V accuratè reſpondentem, opus non

D 2 fuiſ-

(*a*) L. 13. noct. Attic. c. 25.

(*b*) Verba Ciceronis hæc ſunt: *Cùm loquimur terni, nihil flagitii dicimus: at cùm bini, obſcenum eſt. Græcis quidem, inquies: nihil eſt ergo in verbo; quando & ego græcè ſcio: & tamen tibi dico bini; idque tu facis, quaſi ego græcè, non latinè dixerim.*

(c) In Ariſtar. l. 1. c. 13.

(*d*) Plut. in quæſt. græcis, ubi in Byſii menſis etymologiam inquirit.

(*e*) A verbo πυνθάνομαι.

fuiſſet; eorum V jam per υ, jam per β, jam per ε diphthongum exprimere, utpote per literas quæ aliquid cum hoc ſono affinitatis habebant.

CAPUT II.

De Vocalium ſono.

40. DE vocalibus, quæ in controverſiam veniunt, hic diſputaturis prima inter alias ſeſe offert ea, quam ἦτα appellamus. Lis acris græcos, inter, & Eraſmi Sectatores fuit, fueritne ut i, an verò ùt e longum à majoribus prolata? Ego omnino Eraſmo aſſentiendum exiſtimo; & quoniam argumenta, quæ pro ejus ſententia adferri poſſunt, multum quoque lucis allatura ſunt iis, quæ de reliquis poſtea literis curſim dicemus, veniam dabit amicus lector, ſi hoc in capite prolixiores paulò, quàm res poſtulare videbatur, viſi fuerimus. tentemus aleam.

§. I.

Eta ùt e longum pronunciari oportere oſtenditur ex ipſa alphabeti, linguæque græcæ natura.

41. LInguæ Græcæ naturam ſi accuratiùs nonnihil indagare volumus, quantum mea quidem fert opinio, quatuor potiſſimùm nobis conſideranda ſunt. Ac primum quidem ipſa alphabeti ſeries, ſeu literarum ſingularum nomina: deinde vocalium brevium, longarum-

garumque quantitas; tertiò earundem contractio, & diſſolutio. Quartò denique nominum, verborumque varia inflexio; percurramus ordine ſingula.

Atque, ut initio ſtatim pateat, quid ex literarum nominibus exſculpere cogitemus, ſat erit, ſi in breve, quod jamjam ſubjiciemus ſchema lector oculos conjecerit.

Schema parallelum vocalium longarum, brevium, & ancipitum.

1.		2.	
....) α, ἄλφα α		....	(α anceps
e tenue ε ψιλόν) ἦτα		ſemper breve ε	(η ſemper long.
i tenue υ ψιλόν) ἰῶτα		anceps ... υ	(ι anceps
o parvũ ο μικρόν) ωμέγα.		ſemper breve ο	(ω ſemper long.

42. Hebræos imitati videntur Græci, quum literis ſuis peculiaria impoſuerunt nomina; quorum alia quidem pro mero arbitrio adinventa, alia verò ex ipſa characterum natura repetita fuere. Ex poſteriore hac claſſe ſunt vocales illæ, quas hic ſub conſpectum damus. Quorſum enim *o* unum appellatur *parvum*? profectò non alia de cauſa, quàm quia eidem magnum aliud reſpondet ob ſonum nempe in uno magis, minùs in alio productum? Cur *i* unum vocatur *tenue*? ſanè, nonniſi quia ei reſpondet *i* aliud, quod non æquè exili, ſed aperto magis clariorique ſono profertur. Idem de *e* tenui, & eta eſto judicium: Neque hæc fingi quiſquam exiſtimet: exempla enim hujus rei in omnibus pene linguis occurrunt; quære enim ex Gallo, quam ob cauſam e nullo accentu notatum *obſcurum* appellent grammatici? reſpondebit illico, quia duo alia *e* habemus, quorum unum prorſus acuto, aliud aperto planè ore enun-

enunciatur ; idem ab Italo , idem à germano reſponſum feres . Habet enim, uti ſupra me dicere memini, utraque hæc lingua vocales alias , quas clauſas , alias , quas apertas vocat . Dicendum itaque hoc loco aliud adverſariis non reſtat , quàm quod nullam rationem habuerint antiquiores græci literas quaſdam *exiles* , vel *minores* vocandi . quod quâ ratione aſſeverari poſſit , græci hodierni viderint . Pergamus ad quantitatem .

43. Eta & Omega ante ſimonidem in uſu apud græcos non fuiſſe fatentur omnes : erant enim , ùt in prolegomenis narravimus α, ε, ι, ο, υ, illâ tempeſtate omnes ancipites , uſque dum adlecto inter vocales eta , & omega , diſtinguendæ quantitatis ergò orthographia eatenus immutari cœpit , ut ſyllabæ , quæ *ο* & *ε* longum ſonabant , deinceps per omega , & eta ſcriberentur ; alpha interim , jota , & ypſilo , quoniam nova iis ſubſtitutæ nunquam fuerant literæ , jam longarum jam brevium vices ſubeuntibus . Certum pariter , omega & eta ſemper longas fuiſſe naturâ ; quid igitur pronum magis , quàm quod (uti fatentur de *ο* & *ω*) ità & alia vocalis natura brevis eſſe debuerit , quæ longæ ſemper vocali *η* reſponderet ? hæc autem jota eſſe non poterat , utpote jam breve , jam longum : relinquitur itaque ; non fuiſſe aliam , quàm *ε* , ſeu e exile . Quæ ſententia quàm aptè cum ſchemate ſecundo ſupra poſito coincidat , quis non videt ? Omitto quod ex contrario ſyſtemate , ùt etiam advertit Gretſerus , ſequeretur , nullum apud græcos fuiſſe e longum ; quod non modò eſt incredibile de linguâ adeò ſonorâ, ſuavi, & variâ; verùm & apertè falſum eſſe vel ex eo oſtenditur , quòd poetæ dum ſyllabâ indigebant longâ , epſilon perinde in eta , atque omicron in ome-

omega converterint. Huc refer familiarem iiſdem ſynalocphen, dum nimirum duo εε in unum η coaleſcunt. Hujuſmodi ſunt δἤπειτα pro δὲ ἔπειτα. item δἤλεγον pro δὲ ἔλεγον. &c.

44. Progrediamur modò ad contractionem, & reſolutionem vocalium.

Reſolutio.	*Contractio.*	*Reſolutio.*	*Contractio.*
εη	ῆ	ϊι	ι
εε	ῆ	ια	ι
εα	η	ιε	ι

45. Tireſiâ ſanè cæcior ſit neceſſe eſt, qui non videat, hic ſemper e in eta, & i ſemper in jota longum contrahi. Eadem apparet analogia & affinitas inter eaſdem vocales, dum verborum & nominum inflexio derivatioque attenditur.

Schema Nominum.				*Schema Verborum.*		
Nom.	Gen.	Maſc.	Neut.	Præſ.	Futut.	Præter.
ων,	οντος.	ων,	ον.	αω,	ησω,	ηκα.
ων,	ονος.	ως,	ος.	οω	ωσω	ωκα.
ην,	ηνος.	ην,	εν.	εω	εσω	εκα
ην,	ενος.	ης,	ες.	εω,	ησω.	ηκα.
ιν,	ινος.	ις,	ι.	ιω,	ισω,	ικα.

46. Eandem literarum inter ſe commutationem obſervare eſt in augmentis temporalibus verborum, ubi ε perpetuò in η, & ο in ω mutatur, nimirum, quia uti ω duobus ο, ita & η duobus ε æquivalet. Jota contra, & υ non mutantur, quia non habent naturâ longam, quæ iis reſpondeat. α verò cur in η mutetur, facilè intelligitur;

Eſt

Eſt enim inter a & e apertum magna ſoni cognatio; atque hæc ipſa, teſte Rob. Stephano, in cauſa eſt, cur α Jones in η, & Dores contra η in α mutarint; Denique quanta ſemper inter ι, & η fuerit ſoni ſimilitudo, ex Verbis in μι non obſcurè colligitur, videas enim ibi ι, & η, ο, & ω perpetuâ ferè viciſſitudine ſibi mutuò ſurrogari.

§. II.

Oſtenditur idem ex teſtimoniis latinorum, & græcorum per ſæculorum ordinem.

47. INitium faciamus à latinis. Terentius Varro *l.2. de re ruſt. c.*1. ovem à græcis μῆλον vocatam ait, ob ſonum balatui ſimilem, indeque ductam fuiſſe latinam vocem, *belare*, e poſtmodum in a commutato. *belare* tamen cur potiùs dixerint latini quam *melare*, hanc ſubjicit rationem: *non enim mee, ſed bee ſonare videntur oves vocem efferentes; à quo belare dicunt, extrita litera, ut in multis*. *Melon* igitur legebat Varro cum græcis, non *milon*, ùt vult R. P. Placentinius. Varroni ſurrogandus eſſet Cicero, in *epiſt. ad Pætum*: verùm de hoc infra opportunius.

48. Poſt Chriſtum natum, primo ſæculo nobiſcum faciunt, & legunt omnes.

Juven. ſat.14. v.200. *Hoc diſcunt omnes ante alpha, & beta puellæ*.

Perſius ſat.4. v. 13. *Et potis eſt vitio nigrum præfigere theta*.

Mar-

Martialis lib. 5. epigr. 26., & lib. 7. epigram. 37.

Dicas licebit Beta me togatorum.

Eſt operæ pretium diſcere theta novum.

Clariùs loquitur Terentianus Maurus, quem ſub Trajano vixiſſe perhibent.

Literam namque E, inquit, *videmus eſſe ad ἦτα proximam.*

Sicut ο, & ω videntur eſſe vicinæ ſibi.

Temporum momenta diſtant; non ſoni nativitas.

49. Auſonius de literis monoſ. Sæc. IV. ità ſcribit:

B. *dividuum Betæ monoſyllabon Italicum* B.

Z. *Zeta jacens ſi ſurgat, erit nota, quæ legit* N.

H *ἦτα quod Æolidum, quodque e valet, hoc latiale* E.

S. Auguſt. eodem Sæculo lib. 2. de doctr. Chriſti cap. 24. *Beta*, ait. *uno, eodemque ſono apud græcos literæ, apud latinos oleris nomen eſt*. & in Joann. tract. 10. *ubi autem in numeris ſcribunt Beta* B, *quod eſt* b *ipſorum*, *vocatur in numero duo*. Omitto Hieronymum, qui voces plurimas hebraicas, quæ à græcis per η ſcribuntur, latinè per e longum reddendas ait: cujuſmodi ſunt *Elias*. *Eſaias &c.*

50. P. Montfaucon in *palæogr.* adfert MS. Sæculi VII., in quo alphabetum græcum latinè ſcribitur hunc in modum: *beta*, *theta* &c. non *vita*, *thita*. Conſonat cum eo illud Sæculi XII., quod infra, cùm de beta agemus, ex Mekerkio adferemus. Veniamus nunc ad recentiores Grammaticos & antiquarios.

51. Martianus Capella grammaticus (quem laudat *Geſner. in bibl.*) ait: E *vocalis duarum græcarum vim poſſidet: nam cùm corripitur* ε ψιλον *græcum eſt, cùm producitur, eta eſt*. Diomedes l. 2. *e pro* ε, *&* η *græcis, &* ο

E *pro*

pro ω ponitur. Giſbert. Cuper. in apoth. Hom. *Vita*, *zita*, inquit, *thita*, *ita &c. .... hanc elocutionem antiquis nè cognitam quidem fuiſſe ſat multis docuerunt viri eruditi*. Salmaſ. in theſ. Poleni tom.2.pag.49. *nunquam*, ait, Ε *pro jota apud veteres græcos poſitum eſt*, *ſed pro* ἦτα, *hoc eſt Ε longo*. Omitto Voſſium, Eraſmum, Checum, Mekerkium, alioſque, qui cùm in Angliâ, tùm in germaniâ noſtram hanc ſententiam pro aris quaſi & focis propugnarunt.

52. Reliquum eſt, ut etiam aliquos è græcis audiamus. Plato certè nobiſcum facit in Cratylo, uti liquet ex loco num.20. relato. Accedit, quod in eodem libro, ùt non ſemel adverti, ſemper ferè η ab ε derivet. Sic ἥρως deducit ab ἔρως; ἥρα ab ἐρατὴ; ἀθηνᾶ a θεονοὴ; σελήνη à σέλας, νέον, & ἔννον; κίνησις ab ἴεσις &c. rationem dat: *quia quondam non utebamur η ſed ε*. Ariſtot. poet. c.21. ait vocalem produci poſſe vel poſitione, vel mutatione brevis in longam ſibi reſpondentem: in exemplum adfert: πολεως, & ποληως.

53. Euſtatius denique celebris ille Homeri commentator ſæculo XII., *in Hom.B.*, adfert tritum illum verſum Cratini.

> ὁ δ' ἠλίθιος, ὥσπερ πρόβατον βῆ βῆ λέγων βαδίζει.
> *Is autem fatuus, tanquam ovis, bee bee ſonans incedit*.

vocatque ſonum hunc βῆ βῆ μιμήτικον τῆς τῶν προβάτων φωνῆς h. e. *qui vocem ovis imitatur*. Quis autem neget oves *ee ee* potiùs, quàm *i*, *i*, vel *vi*, *vi* ſonare, niſi forte aliter balaverint Athenis, quàm Romæ apud Varronem. Argumento huic à nemine hactenus ſolidè reſponſum eſt, ait Jo: Clericus.

§. III. *De-*

§. III.

Demonſtratur idem ex conſtanti Vocalis unius in aliam commutatione.

54. DE Permutatione hâc dubitare nemo poteſt, qui primæ & ſecundæ græcorum declinationis paradigmata, qui verbalia in *ema*, *eſis*, *eton*; maſculina in *es*, & *er* feminina in *e*, neutra in *es*, voceſque artium, ſcientiarumque ptope infinitas vel obiter percurrerit. Quare in re adeo exploratâ immorari diutius non vacat: hoc tantùm obſervo, non cautè ſatis argumentum iſtud à quibuſdam pertractatum fuiſſe. Quamobrem, nè quis detur cavillo locus, duas potiſſimùm leges in argumentis ejuſmodi etymologicis obſervandas eſſe contendo. Prima eſt: *ut voces, quæ alia ex lingua deſumuntur, relinquantur integræ; neque diverſa inflexione ad linguæ alterius genium accommodentur*. Altera, *ut literarum hæc commutatio conſtans ſit, neque paucis duntaxat, ſed in omnibus pene vocibus reperiatur, una alterave fortaſſis excepta, quam uſus & conſuetudo alio quaſi vultu finxit*. Adde, ſi vis, tertiam; *ut natio, quæ peregrinas hujuſmodi voces adſcivit, ſonum earum nativum calleat*. Tria autem hæc quàm aptè in *n* à latinis per e redditum quadrent, facilè oſtenditur. Millena ſanè, & millena proferre hìc poſſem exempla, ſi ad manum foret liber quidam impreſſus Moguntiæ, cui titulus: *Scientia latinitatis Auth. P Hertling*; dum contra adverſarii è millenis vix unam inventuri vocem ſint, quæ à regulà communi receſſerit. Exempli interim loco ſint, quæ modò ſcriben-

do feſtinanti occurrunt, puta: *exegeſis*, *matheſis*, *phreneſis*, *exhomologeſis*, *catachreſis*, *ſchema*, *tragema*, *meletema*, *emblema*, *hypomnema*, *gloſſema*, *categorema*, *ſtrategema*, *mnemoſynon*, *blaſphemia*, *academia*, *allegoria*, *epilepſia*, *prolepſis*, *antilepſis*, *ſyllepſis*, *hyperbole*, *hypallage*, *cataſtrophe*, *Penelope*, *aganippe*, *amphrite*, *Arachne*, *Circe*, *Callirrhoe*, *Daphne*, *Euphroſyne*, *Euridice*; *Chryſes*, *Anchiſes*, *Dynaſtes*, *cometes*, *planetes*, *myſtes*, *crater*, *character*, *glyſter*, *pater*, &c. &c. &c., hunc autem græcas vocales legendi, ſcribendique modum doctiſſimus P. Montfaucon vocat *uſum perpetuum veterum latinorum* Palæogr. tom. 2. pag. 138. Conferat modò cum his, qui volet ridiculas derivationes P. Placentinii, quas in contrarium adfert; puta dum vocem *rima* à ῥί'γμα, *veſtis* ab ἐσθὴς, *nimium* à νη & μειον, *domitus* à δμητὸς, *genitus*, item, *genitor*, non ab inuſitato *geneo*, ùt debebat, ſed à græco verbo γιγνομαι profecta eſſe contendit; eodem è cenſu eſt vox *dapſilis*, quam nemo ignorat à *daps*, *dapis* deductam, ipſe tamen græco quoque è fonte derivat. Omitto hìc voces Hebreas, Siriacas, quas refert, cùm, quòd de ſono illarum vocalium diſputent eruditi, tùm quòd, quæ ipſe hìc per *i*, eadem per *e* efferenda afferat Hieronymus. Omitto voces per vim tortas, quæ incremento, quantitate, & inflexione à græco multum diſſident, ac proinde unâ litera ipſi, aliâ nobis favent; ùt ſunt: *Cephiſia*, κηφισια; *Cenſitori* κηνσιτορι, aliaque id genus. Omitto denique falsò relatas, uti βῆρος birrhus, & ἀλγηδὼν algidum &c. Si Suidam conſuluiſſet, inveniſſet βίῤῥος, non βῆρος. Si Dion. Halicarnaſſeum, inveniſſet lib. X. ἀλγιδόνα lib. XI. ἀλγιδόνι, & ἀλγιδῷ. De vocibus *ſmigma*, *orchiſtra*, *paracli-*

raclitus, *epichirima* dicere nil attinet: conſtat enim ea per *e* potiùs, quam *i* pronunciari ab eruditis. Reliqua ejuſdem ſunt furfuris, & planum faciunt, quàm proclive ſit viris etiam doctis in palmares ſæpe errores incidere, dum nimio partium abripiuntur ſtudio. Sola itaque ex 34. vocibus examinanda reſtat, Eccleſiaſtica illa vox *Kyrie eleiſon*, aut *eleyſon*, ùt ſcribunt alii. Verùm una hæc hirundo ver non faciet, opinor. Maximè cùm & hanc vocem corruptam eſſe probabile ſit: ignorare enim Author non debuerat ſcriptam quondam fuiſſe per duo *ee*, ùt conſtat tùm ex vitâ S. Geltrudis, quam ipſa ſibi concinnavit, tùm maximè ex *Innoc. III. lib. 2. de myſt. Miſſ.*, ubi quinque in locis ſcribitur non *eleiſon* ſed *eleeſon*, eo ferè modo, quo vox ἐλεημοσύνη *eleemoſyna* ab eadem radice profecta, per duo ſemper *e* ſcripta fuit, & ſcribi pergit: ſed de his plus ſatis.

§. IV.

De ſono τοῦ Y.

55. Y Apud Græcos ſonum non perinde acutum, ſed dilutum magis, quàm *i* latinorum habuiſſe vel ipſa nominis etymologia indicat. Quare paſſim creditur τὸ υ non figurâ tantùm, ſed & ſono reſpondiſſe V conſonanti latinorum, quam eo ferè modo à latinis, quo modo *u* vocalis à Gallis, prolatam fuiſſe plures cum Lipſio contendunt. Probant id poſt ipſum plures authoritate Velii longi, Scauri, Donati, Caſſiodori, & aliorum. Item ex pluribus vocibus, quæ græco *y* apud latinos per *u* reſpondent: cujuſmodi ſunt apud Tacitum *Sibul-*

la,

la, *Sulla*, *Burrha*, & ſimiles. Verùm his tantiſper omiſſis audiamus clariſſima Grammaticorum hanc in rem teſtimonia.

56. *Tertiam*, inquit Terent. Maur., *Romana lingua* (*quam vocant* υ) *non habet*.

Hujus in locum videtur u latina ſubdita,
Quæ vicem nobis rependit interim vacantis y.
Quando communem latino reddit, & græco ſonum.

57. Lipſ. de pron. l. lat. ait. Y *græcum reſpondet* v *tenui latino*. Scaliger, quem hàc in controverſiâ tam libenter nominant græci, etſi in aliis quibuſdam rebus contrarius, hâc tamen in re conſentit. *Puto*, inquit, *fuiſſe F validiſſimum*, *adſtricto ſuperioribus dentibus labio inferiore*. *Mox ſequi* φ *dilutiore vi*; *tertio loco molliſſimum V*, *quomodo nunc dicimus*, *aut non multò attentius*. l. I de cauſ. l. lat. c. 10. Plura qui volet, adeat *Priſcianum*, *Iſid.*, *Gretſ.* & *Voſſ. de arte Grammat.*

CAPUT III.

De Diphthongis.

58. DIphthongos duplicem apud veteres habuiſſe ſonum vel ipſum ſatis nomen indicat, & plurium hodie linguarum uſus confirmat. Verùm ut monophthongos eas hodie græci pronunciant: rectène an ſecus, videamus.

Plut. Sympoſ. l. IX p. 3. de αι Sic ait: *Alpha* .... *neque poſt jota*, *neque poſt* y *collocatum in unam cum iis coire vult ſyllabam*; *ſed veluti indignans reſilit*, *ſuumque quærit primordium*. *Iſtorum utri alpha præpoſueris*, *CON-*

CONSONABUNT; *unàmque ſuo obſequio facient ſyllabam*, *ùt in Auſter*, *aura*, *Maja*, *Ajax*, *ac innumeris aliis*. Locus hic certè mihi videtur ἀναντιλόγητος, quî enim conſonare duo poterunt, niſi utrumque ſonet? Neque ad rem facit, quod ex utroque medius forte quidam confletur ſonus, qui nec ad α, nec ad ι totus referri poſſit, ùt ingenioſè explicat R. P. Placentinius: id enim eſſet mutare ſonum, & perdere; non conſonare, & συμφωνεῖν. Adde quod exempla latina à Plut. relata omne tollant dubium. His adjunge Terentianum, cujus verba clariſſima ſupra retulimus num. 25. ubi diphthongos ait, *vi gemina prœditas*; *ſyllabam ſonare in unam*, *& duorum temporum effectum cuſtodire*.

59. Quintil. ùt refert Checus, docet vocales ità inter ſe coire, ut conſonent, alteramque frangat altera. Si autem in ſonando nihil altera vocalis adjuvat, non modò frangitur ſonus, ſed conſumitur, inquit Checus. Demum Stephanus Vintonienſis etſi à Checi ſententiâ alieniſſimus, in ſuâ tamen ad ipſum epiſtolâ, hac in re eidem conſentit. „ Sanè quidem, ſunt ejus verba, in „ υ, in η, in ipſis denique diphthongis alium fuiſſe ſo„ num primorum literarum parentum, alium hodie no„ ſtrum ipſa ratio indicat, & ſummorum virorum au„ thoritas clariſſimè confirmat.

60. Quis porro ſingularum diphthongorum ſonus fuerit, non adeò promptum eſt ſtatuere. Αυ ſonuiſſe ùt *aura*, & *Auſter* latinorum, nos paulò ante Plato docuit. Idem novo exemplo confirmat Terentianus cum ait:

Auſpice quum dico, *& aurum*, *ſive grœcis* αὔριον.

Quis autem latinorum unquam dixit *Afſter*, *afrum*, *afra*,

afra , *aſſpice* &c. ? Accedit , quod ſi *αυ* ùt *af* vel *av* ſonandum eſſet , hæc diphthongus ex unâ vocali & conſonante coaleſceret : quod certè contra diphthongorum naturam fieret ; Siquidem diphthongus , ùt notum eſt , duarum vocalium , non conſonantis cum vocali , eſt copulatio .

61. Α*ι* pariter ſonuiſſe ùt *Ajax* , *Maja* ex eodem conſtat Plutarcho . Itaque a & i audiendum eſt , ùt Germani faciunt in voce : *Kaiſer* , *Cæſar*

Ε*ι* pari ratione proferendum erit , ùt *hei* ! *queis* , *capteivi* apud latinos .

Ε*υ* , ùt *Eurus* , *Euge* , *Pentateuchus* , *&c.* non ineptè infertur ex conſtanti derivatione latinorum , ac literarum inter ſe permutatione . Etſi in voce *Evangelium* propter concurſum trium vocalium aliud poſtulaiit εὐφωνία .

Ο*ι* ità quoque prolatum fuiſſe ut & *ο* & *ι* exaudiretur,ex dictis facilè conſequitur : etſi mihi credibile ſatìs videatur , in quibuſdam diphthongis , ùt etiam hodie fit , plus quandoque unam vocalem auditam fuiſſe , quàm aliam ; atque hinc facilè contigiſſe , ut Athenienſium alii λοιμὸς , alii λιμὸς ab Oraculo prolatum fuiſſe crediderint (*a*) . Id enim niſi quis dixerit , certum eſt celebrem illum Xenophontis locum in utramque partem trahi , & explicari poſſe .

CA-

(*a*) Vid. Xenophontem de bello Pelop.

CAPUT IV.

Reſpondetur argumentis R. P. Gregorii Placentinii.

62. ARgumenta, quæ author hic doctiſſimus adfert ad tres ferme claſſes reduci poſſunt. Prima eorum eſt, quæ à quibuſdam nummorum, marmorumque inſcriptionibus, vel ab unâ alterave, quæ in MS.^to quodam occurrit, voce petuntur. In alteram referri poſſunt, quæ à derivatione, & analogiâ; atque in tertiam demum quæ ab authoritate duci ſolent. Ad quorum omnium vim in ipſo ſtatim limine infringendam dicere ſufficeret, quod juxta conſtitutum ſuperiùs κρινόμενον nobis de eâ tantùm ætate ſermo ſit, quæ ad aureum Platonis, Demoſthenisque ſæculum propiùs accedebat: loca autem ab Authore hoc adducta plurimis ſæculis ætate illa Platonianâ poſteriora ſint: ſiquidem vix ullum, quod adfert teſtimonium ultra annum à Chriſto nato milleſimum pertingat. De inſcriptionibus deinde, & derivationibus ſat foret notaſſe, quàm debile paſſim in re præſenti argumentum ſit, quod indè ſumitur; niſi certâ quâdam, ùt mox dicturi ſumus, cautione adhibeatur. Authoritates porro, quas opponit, cum Platonis, Ariſtotelis, Plutarchi, Auſonii, & Terentiani verbis à nobis ſæpe relatis comparari non poſſe. Hæc, inquam, ad ponendos nos extra omnem teli jactum ſufficerent. Verùm, nè quam genericâ hâc reſponſione difficultatem aut effugiſſe videamur, aut callidè diſſimulaſſe, propiùs conferamus manum, virique, ceterà eruditiſſimi, argumenta diligentiùs expendamus.

63. „ Primò itaque inquit : Beth hebræorum ſemper „quoad ſe flatum poſſidere; ideòque ad B græcorum molliuſculè enunciatum convenire „. Verùm quidquid de hoc flatu,quem alii nonniſi quibuſdam in vocibus admittunt , ſit , nobis hìc obſervâſſe ſufficiet : Platonem difertè omnem huic literæ ſtrepitum , ſibilum , flatum , vocem negare , ùt ſupra ex ejuſdem Thæeteto oſtendimus , num.33.

64. „ Deinde Latini,ait, b ſuum cum V conſonante ſæpiſſimè confuderunt„ : probàtque id ex quibuſdam vocibus , nummis , & inſcriptionibus marmorum . Verùm quoniam hìc inſcriptionum , marmorumque fit mentio , ſemel à lectore notatum volumus , characteres illos à plebejis plerumque rudibuſque hominibus exaratos fuiſſe ; adeoque eò tantum conferre , ut quà ratione voces quædam ab uno , alterove plebejo ſcriptæ , pronunciatæve fuerint , intelligamus . Profectò qui hodie ex plebeculæ noſtræ ſcripturis , aut dialecto veram linguæ Hetruſcæ , aut pronunciationem , aut orthographiam haurire vellet , næ is toto , quod dicimus , Cœlo aberraret . Conferunt ſanè alios ad uſus ejuſmodi inſcriptiones ; verùm in re præſenti parum probant : maximè cùm tot reperiantur contrario prorſus modo , eodem pene tempore elaboratæ . Cæterùm V & B ſæculo Trajani , & poſterioribus quandoque permutata inter ſe fuiſſe non inficior.At quis indè eruditiorum pronunciationem colligat ? Germanis paſſim vitio datur quod b cum p , & d cum t confundant ; neque tamen inferre ex eo licet peritiores ea inter ſe non ſcire accuratè diſtinguere .

65. Debilius multò videtur argumentum , quod repetit è quibuſdam germanorum vocibus , dum Scil. *tafel*

ſel à τάβλη, & *ſtampſen* à ςίμβειν derivat. Hæc enim derivandi ſi valeret ratio, quanta non ex græco in noſtræ etiam favorem ſententiæ poſſemus deducere. Quo loco redit in memoriam mihi fabella illa, quæ in Germaniâ de quodam narrari ſolet, qui *Kirch* à Kyrie, & *Sacriſtey* à Chriſte derivare conatus fuerat. Sed è diverticulo in viam.

66. Nec plus habet roboris, quod adfert de B ſæpe in φ commutato: dicunt enim, ait ipſe, βλάζω, & φλάζω; βάσκω, & φάσκω &c. At quorſum iſta? dicunt & Itali *queſtione* & *quiſtione*; *queſto*, & *quiſto*; *deſinire*, & *diſſinire*, *dipendere*, & *dependere* &c., an inde inferre liceat, i & e eodem apud ipſos ſono proferri?

67. Adfert deinde voces quaſdam latinas græcè ſcriptas: v. g. βηρίσιμον pro *veriſſimum* ex Herod. ὦβεα pro „ *ova* ex Heſych. &c. certè, inquit, non ità ſcripſiſſent, „ niſi V conſonantis poteſtatem huic B literæ tribuiſſent? Sed, quid, ſi ego ex eâdem voce βηρισιμον ſimiliter argumentarer, dicendo: Certè non ſcripſiſſent η, & ι, niſi η idem quod e latinorum, & jota idem quod i ſonuiſſet? quid ſi porro non unam, alteramve, ſed innumeras ex Plutarchi hiſtoriâ adferrem voces, ubi ſemper au per αυ, eu per ευ, b item latinorum per βητα; e longum per ητα, e breve per epſilon redditur? an hæc adverſariis probaretur conſecutio?

68. Obſervatum porro à ſe ait in MS.[to] quodam τὸ β à græcis efformatum fuiſſe ad normam u latini. Verùm ſi Authorem non movit, quod univerſa Romanorum natio in B latino eandem figuram, derivationem, poteſtatem, ac formam retinuerit, cur ipſum unius, alteriùſve MS.[ti] authoritas potiùs moveat, non intelligo.

 69. Dum

69. Dum de ει agit refellere conatur, quod illi paſſim e longum apud latinos reſponderit; idque ex 34. vocibus, à ſe diligentiſſimè conquiſitis demonſtrari exiſtimat. Sed quàm ſubleſtæ fidei hæ voces ſint, jam ſupra vidimus *num.*54. Plus ſanè difficultatis præſefert Gregorii Martinii interrogatio, cùm quærit, cur non eodem jure ex literarum permutatione inferamus, αι græcorum ſonuiſſe ùt noſtrum æ; ει ùt ei; οι ùt oi? Verùm non difficilis eſt reſponſio, modò quis meminerit, αι per ai, ει per ei, & οι per oi priſcis temporibus ſcriptum & pronunciatum fuiſſe; imò, licet circa Claudii tempora orthographia mutari ceperit, eodem tamen ſono a latinis, quo à græcis prolatas fuiſſe. Utrumque certum eſt; ac primum quidem conſtat ex Scauro *de Orthogr.*, ex numis, ex priſcis illis vocibus *aulai*, *pictai*, *albai*, *aimilia*, *leibertas* &c., quibus adde hunc verſum Virgilii: *Jam validam Ilionei navem, Orphei Calliopeia*. Alterum verò apertè nos docet Terentianus Maurus, cùm ait.

70. *ἄλφα ſemper atque ἰῶτα, quem parant græcis ſonum,*
A & E *nobis miniſtrant: ſic enim nos ſcribimus.*
OI *ſimiliter* O, & E *fit*, *ἰῶτα quod græcum fuit.*
Au & eu *quum copulamus*, U *ſecundam jungimus*
In vicem græcæ; quòd ὐψιλὸν ſubdita eſt Vocalis V.
Græca diphthongus OY *literis noſtris vacat*,
Sola vocalis, quod V *complet hunc ſatis ſonum.*
E *deinde ἰῶτα, Græca quod diphthongos* EI *ſonat.*
Non erit ſemper neceſſe copulatas ſcribere.

Igitur hæc objectio argumentum noſtrum non tam enervat, quàm confirmat.

71. Ad Cratini verſum reſpondet R.P. Placentinius, libe-

liberum genti cuique eſſe ſonum inarticulatum, & confuſum pro ſuæ linguæ genio exprimere. Sed quà id veri ſpecie fiat, non ſatis aſſequor. Profectò ſi τὸ βῆ erat μιμητικὸν τοῦ προβάτου, ùt ait Euſtathius, non alio proferri ſono poterat, quam qui ad imitandum balatum eſſet idoneus. Præſertim cùm veteribus etiam *bee*, non *vi* ſonare viderentur oves, ùt ſupra ex Varrone oſtendimus. Quod verò nos rideat, dum etiam ab ovibus vocalium ſonos ediſcere cupimus, non multum me commovet: Si enim Demoſthenes, ait Checus, turpe ſibi non ducebat à cane literam ρ ediſcere, cur nobis ad oves in ſimili argumento recurrere non liceat?

72. Ad Achillem P. Placentinii jam ventum eſt; ad Euſtathii nempe & Suidæ, ùt eos vocat, *inſignes locos*. *Suidas* ait: βῆ τὸ μιμητικὸν τῆς τῶν προβάτων φωνῆς λέγουσιν οἱ Ἀττικοὶ, οὐχὶ βαί. & *Euſtath.* οἱ παλαιοί φασι μιμητικῶς βῆ οὐ μὴν βαί. Id eſt, ùt ipſe vertit, *Vi dixiſſe Atticos, non Be*. At unde compertum habet, ità potiùs legendum, quàm *Bee non Bai*, ùt pars adverſa contendit; & meliori fortaſſis jure? βη enim ut *Bee* legendum conficitur cùm ex Varronis loco ſupra relato; tùm ex ipsà voce μιμητικῶς ùt numero præcedente oſtenſum eſt. Βαὶ verò *bai* potiùs, quàm *be* pronunciandum luculenter oſtendunt exempla à Plutarcho, cùm de hujus diphthongi ſono ageret, adducta; ſunt autem: *Maja* & *Ajax*; verba recitavimus ſupra *cap. de diphthongis*. Vides itaque amice lector cauſæ noſtræ nihil officere Euſtathium, nihil Suidàm. quin potiùs ſuffragari. Scio quidem Euſtathium alio in loco dicere, ἴρι, & ἦρι idem omnino ſonare: verùm ibidem non de Athenienſium veterum more, ſed de conſuetudine Theſſalonicæ ſuo fortaſſis ævo obtinente loqui cenſendus eſt.

Digitized by Google

73. Ad ea, quæ de permutatione ει cum η; & ι cum υ adfert, jam patet reſponſio ex dictis. Advertit ſanè non ſatis Vir optimus, argumenta quæ ab ejuſmodi mutationibus deſumuntur, plus eorum obeſſe cauſæ, quàm prodeſſe: Siquidem uni, quam adferunt ipſi, centenas facilè opponimus. Recole etiam hic numerum 52.; ubi diphthongorum plurium in unum ſenſim ſonum degenerantium veram cauſam deteximus.

74. Quod de diphthongis ait, eas unum tantùm habuiſſe ſonum, ægrè probabitur. Maximè cùm in contrarium militent tot virorum antiquitate, & eruditione clariſſimorum teſtimonia ſuperiùs recenſita; tùm etiam mutarum, mediarum, aſpiratarum, tenuium, vocalium, conſonantium, temporumque pene omnium ab officio, quod exercent, ſuam appellationem accipientium exempla.

75. De αι, quid quid moliatut, nunquam ſolvet argumentum, quod ex Plutarcho inſtruximus. Reliqua quæ de αυ, ει, οι &c. contra nos adfert ſolvuntur facilè ex dictis. Iiſque omnibus hoc loco oppoſuiſſe ſufficiat verba eruditiſſimi Moutfauconii, qui in Palæogr. ſuâ l. c. ait: *In marmoribus, nummis, & exemplaribus ante ſeptimum Chriſti ſæculum paucos jotaciſmos ſive mutationes τῦ η in ι obſervavimus: in poſterioribus verò ſæculis mirum, quantum hoc vitium invaluerit; præſertim ab decimo Chriſti ſæculo.*

76. Quod ad extremum addit, mutandam fore rationem cantûs, ob auctas, ampliataſque ſyllabas, ſi recentiorum invaleſceret pronunciatio, nihil eſt. Cùm enim diphthongus per diæreſin non ſoluta, voces nullâ augeat ſyllabâ, non eſt cur ab hoc ſibi in commodo græci timeant.

77. Co-

Digitized by Google

77. Coronidis loco adjungo, quod ex Homero aliquando mihi obmovit P. Velaſtius. Homerus, ajebat, ſæpe ἔδησαν, & ἐδδείσαν; ἤρει, & ἤρη; ἶρι item & ἦρη inter ſe opponit, ut propter παρήχησιν, ſeu annominationem, ut Rhetores latini vocant, quandam verſui conciliaret gratiam. Hanc verò perire putat, ſi noſtro quis modo pronunciaret. Verùm nihil illam huic verborum luſioni officere manifeſtum eſt. Fac enim opponi inter ſe *erei*, & *iri*; *edeſan*, & *eddeiſan*, *erei*, & *ere*, an peribit παρήχησις? non magis certè quàm periret in his: *Orator arator*; *oritur moritur* &c. Sin contra quis dixerit *iri*, & *iri*, *ediſan*, & *eddiſan* &c. æquivocatio potius & ταυτοφωνία erit, quàm παρήχησις. Hæc ſi in loco, & tempore adhibetur, gratiam habet, illa verò græcis antiquis odioſa erat, ùt nuper ex Plut. palam fecimus.

PARS TERTIA

De reliquis, quæ huc pertinent.

CAPUT I.

De accentibus Græcorum.

78. TRIA potiſſimum de accentibus quæri ſolent. 1. An ſcripti fuerint ab antiquis? deinde ſi ſcripti non fuère, an inter loquendum ſaltem fuerint obſervati? denique, ſi inter loquendum obſervati fuère, id ne in proſâ tantùm, an ſimul in verſibus acciderit? de ſingulis modò, quæ vero ſimilora ſunt, in medium adferemus. Scriptos

ptos itaque ab antiquis accentus non fuiſſe certum omnino exiſtimo. Perſuadet enim id mihi cùm Ariſtotelis authoritas, tum multa MS. vetera, tùm ipſa denique ratio. *Ariſtoteles l. de elench. Soph. c.3.* in hunc modum loquitur. *Ex accentu in non ſcriptis diſſertationibus haud facile eſt facere argumentationem* (ſophiſticam), *ſed in ſcriptis, & poematis potiùs*. Sanè nonniſi, quia inter loquendum per ſuos accentus voces ferme ſingulæ diſcriminabantur, in ſcribendo non item. Unde enim Sophiſtarum litigia, cavillationes, & ὁμονυμίαι, ùt eas vocat Ariſtoteles, potiſſimùm naſcebantur, niſi ex plurium inter ſe vocum ſimilitudine, quarum tamen ſignificatio erat diverſiſſima? Confirmant idipſum voces variæ, quas ex Homero ibidem adfert idem Ariſtoteles, addens controverſiam indè exortam, quòd diſputarent inter ſe eruditi, quo accentu proferendæ forent. Si autem verſus Homeri accentibus, & virgulis hodiernis inſignitæ fuiſſent, quis dubio potuiſſet eſſe locus? Veniamus nunc ad MS., de quibus duo pariter tanquam explorata affirmo. Primum eſt; quod ejuſmodi codices, quò antiquiores ſunt, eò paucioribus notati ſint accentibus. Obſervavi id ego cùm ſæpe in variis bibliothecis in & extra Italiam; tùm adhuc nuper in Codice IV.[d], ùt creditur ſæculi, qui extat in bibliothecâ Barberiniana, & alio Sæculi XII.[ml], qui adſervatur apud RR.PP. Philippinos. Alterum eſt, quod monumenta quæ mille annorum ſpatium excedunt, nullo paſſim notentur accentu. Aſſerit hoc apertè peritiſſimus antiquitatis Montfauconius in palæographiâ; & ante ipſum teſtati ſunt Angelus Politianus, Waltonus, & alii, quorum ille verſus Sibyllarum, Callimachum, & Pandectas Florentinas; hic verò verſionem

ſionem antiquiſſimam LXX. Interpretum in Anglia ſe vidiſſe teſtatur ſinè ullis virgulis, ſinè ſpirituum, accentuumque notis. Adjungo ego eorundem bibliorum exemplar antiquiſſimum, quod extat in bibliotheca Vaticana. Scriptum illud eſt literis uncialibus antiquis, nullo accentu; ii enim qui jam videntur, aliena poſtea manu additi ſunt, ùt ex atramenti diverſitate facilè colligi poteſt. Simile quid affirmant Galli, de exemplo, quod habetur in bibliothecâ Regiâ. Atque indè eſt, quod Cardinalis Ximenius biblia LXX. ſinè ullo accentu in Hiſpania imprimi juſſerit, nempe ut archetypo tantò magis conformia eſſent. Vid. *Walton. in proleg.* Bibliis his addo Codicem alium *Ephrem Syri*, exaratum ſæculo circiter XII.^mo^ quem monſtrarunt mihi RR. PP. Congregationis Oratorii. Scriptus eſt charactere ſatis venuſto; ſpiritus plures habet: accentus verò pauciſſimos, ac prope nullos. Quæ omnia confirmant, quomodo paulatim in ſcribendis accentibus à veterum more diſceſſum ſit. Ratio demum ipſa id ſuadere videtur: cui enim bono fuiſſent tot accentus, puncta, & apices apud Græcos veteres? Sciebant ipſi ſatis, quibus in Syllabis attollenda vox foret, & in quibus contra deprimenda: non ſecus, ac nos hodie id à puero addiſcimus in linguis noſtris vernaculis; neque ullis ad hoc indigemus accentibus, niſi fortè ad dubias aliquas voces inter ſcribendum diſtinguendas.

79. An verò inter loquendum à Græcis adhibiti fuerint accentus à ſyllabarum quantitate diſtincti, non perinde in aprico eſt. Fuiſſe aliquos mihi credibilius videtur. Primò, quia alioquin ingens in loquendo oriri debuiſſet confuſio, & perturbatio ex vocibus pene innumeris;

ris,quæ ſolo accentu diſtinguebantur Longam illarum ſerieni texit Criſpinus & Budæus in Lexico. Idem non obſcurè eruitur ex pluribus vocabulis græcis, quæ Auſonii tempore ſecundùm accentum græcum etiam à latinis proferebantur. Teſtimonio ſunt verſus ſequentes:

Per totidem partes trigonorum regula currit,
Fulgur tetragono aſpectu vitale coruſcat,
Tres primas Phæacum pugnas tribus ordine bellis.

Idem etiam *idola*, & *eremus* dactylos facit, perinde ùt εἴδωλα, ἔρημος. Plura de his videri poſſunt apud *Priſcianum*, & *Servium in libello de accent*. His adde locum illum Demoſthenis *pro coron.* à variis jam tum relatum, ubi cùm Orator dedita operâ pronunciaſſet μίσθωτος, illico à populo correctus fuit, inclamantibus omnibus μισθωτὸς, μισθωτός.

80. Cæterum an accentus, quos declinante jam lingua vocibus appinxerunt Grammatici, iidem planè ſint cùm Athenienſibus, quis ſtatuet? in multis certè erratum fuiſſe videtur credibilius. Verùm cùm hos detegere errores in nullius hodie facultate poſitum ſit, vulgatis accentibus acquieſcat oportet, qui proſam non, ùt multi faciunt, ſecundum quantitatem pronunciare voluerit.

CAPUT II.

De Verſuum quantitate.

81. NOtum eſt, græcos hodiernos pro aris, quod dicitur, & focis contendere, verſus perinde ac proſam ſecundum accentus quondam recitatos fuiſſe. Verum ægrè id mihi perſuaſerint: quæ enim, obſecro, harmonia, quæ gratia foret, ſiquis hunc in modum Homerum legeret? diſcerni ſanè ab audiente non poſſet, proſa, an-

an metrum ſit, quod legitur. Faciamus è contrario alium ſecundum quantitatis leges hos verſus proferre, continuò apparebit metri ratio, redibit ſua poemati majeſtas, & decor. Profectò in dubium vocari non poteſt, eaſdem ſemper in verſu obſervatas à græcis fuiſſe quantitatis regulas, quas à latinis, nullam verò aſſignari poſſe, ad quam in accentibus certo inter ſe ordine copulandis adverterint. Ex quo non ineptè colligitur, venuſtatem carminis apud latinos, æquè ac græcos in eo poſitam fuiſſe, ut ſyllabæ voceſque aptè caderent, diverſaque ab ea, quæ in proſa eſt, efficeretur ſyllabarum vocumque modulatio. Non deſunt quidem, qui cum Ludovico Vives exiſtiment, & accentûs, & quantitatis in verſu rationem fuiſſe habitam; verùm & hoc difficulter intelligi poteſt: Siquidem accentus cum quantitate pugnet ſæpiſſime: quam enim hæc attollere, hanc ille deprimere; quam hæc longiori, hanc ille breviori ſpatio ſyllabam percurri exiget, ùt quivis ſe ipſo facilè poterit experiri. Cicero ait in Oratore: *In verſu quidem theatra tota reclamant, ſi ſit una ſyllaba aut brevior, aut longior. Nec verò multitudo pedes novit nec ullos numeros tenet; nec illud quod offendit, aut cur, aut in quo offendat, intelligit; & tamen omnium longitudinum, & brevitatum in ſonis, ſicut acutarum, graviumque vocum judicium ipſa natura in auribus noſtris collocavit*. Sanè, ſi ſecundum accentus pronunciari debuiſſent verſus, quoties non *reclamare* debuiſſent *theatra*, & indignari, *quod longiores, aut breviores fierent ſyllabæ, quam poſtulare videbatur judicium, quod ipſa natura in auribus noſtris collocavit*! Quamobrem cùm ex ipſis græcorum verſibus perſpicuum ſit, quod ad eandem pedum menſuram exæquati fuerint, quam latini; neque ulla appareat ratio

hanc

Digitized by Google

hanc harmoniam cum accentibus vulgatis conciliandi, infertur non ſecundùm accentuum hodiernorum, ſed ſolius quantitatis regulas quondam fuiſſe decantatos.

COROLLARIUM.

Quænam ſit hodie in pronunciatione via eligenda?

82. QUæri ad extremum poſſet, ad quam præſenti rerum ſtatu pronunciationem ſe præitet aſſuefacere? qua in re, ſi mea quis ſtare volet ſententia, eam amplectetur, quæ vel in Academia, ubi ſtudiis operam navat, uſu recepta eſt; aut ſcopo quem ſibi præfixit, fuerit accommodatior. Profectò ſiquis non intelligere ſolùm, ſed & loqui græcè vellet, is ad receptum inter Græcos loquendi morem accomodare omnino ſe deberet, ut intelligeretur, & intelligeret. Sin verò, quod plurimi faciunt, eo tantum conſilio in hoc ſtudium quis voluerit incumbere, ut ſcriptores legere, linguamque latinam pleniùs addiſcere poſſit, huic eam quam hìc propugnavi, conſultam mallem; utpote faciliorem, veriorem, cum latino ſermone magis conſentientem, noſtriſque etiam auribus multò, quàm illa alia eſt, jucundiorem. Neque criminis magni poſtulandos cenſerem linguæ græcæ Doctores, ſi in inſtillandis genuinis Atticarum dictionum formulis, quàm in inculcandis nullo pene fructu accentibus, & enclyticorum regulis tempus ſuarum prælectionum conſumerent.

Habes amice lector opinionem noſtram de hac controverſia: tuum nunc erit re in utramque partem expenſa dijudicare, jure an injuria de linguæ græcæ corruptela literati conquerantur.

A. M. D. G.

Digitized by Google